Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Kaspar Movius

Philosophiae moralis pars communis seu Ethica In qua ad mentem Aristotelis praecepta legitimo ordine disposita dextre explicantur, controversiae variae, eaeq[ue] insigniores diligenter excutiuntur atq[ue] resolvuntur. In Disputationes XII redacta

Rostochii: Richelius, 1617

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729228002

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

C. Morris.
R. M. phil. 1617.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729228002/phys_0001
DFG

Philosophiæ moralis pars communis
seu

ETHICA

In quâ ad mentem Aristotelis præcepta legitimo ordine disposita dextrè explicantur, controversiæ variæ, eæq; insigniores diligenter excutiuntur atq; resolvuntur.

In Disputationes XII redacta
Et in Academiâ Megapolitanâ partim privatim, partim publicè φιλονείκως ad ventilandum proposita

à

M. CASPARO MOVIO
Parchimo-Megapolitano
SS.Th. studioso.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

ROSTOCHII
Typis Hæredum Richelianorum.
Anno 1617.

Magnificis, Strenuis, virtute & splendore generis Nobilissimis Viris,

DN. HUGOLDO Behr Illustrissimi principis ac Dni. Dn. Adolphi Friderici Capitaneo in Jvenack/ Dn. hæreditario in Hügelsdörpff &c.

DN. SAMUELI Behr Illustrissimæ Aulæ Svverinensis præfecto spectabili Toparchæ in Hügelsdörpff &c.

DN. VOLRADO Von der Lühe Eidem Celsissimo principi à consilijs secretioribus, Dn. hæreditario in Schulenburgk

Dominis Suis & Mæcenatibus magnis

Salutem precatur.

QUod omni ætate, inde ab anno Domini trecentesimo ac Sexagesimo evenisse testantur Annales, vt piæ, sobriæ, placidæ & doctæ disputationes seu sententiarũ collationes suos habuerint ex unâ parte obtrectatores, ex alterâ verò commendatores: Idem hodienum contingere res loquitur & experientia clamat. Inveniuntur enim, qui disputationes ceu pestem pernicioſissimam è cætu docentium & discentium exturbandas, longissimeq; proscribendas atq; profligandas esse judicant. Alij ex adverso eas tanquam efficacissimum organon, quo linguæ promptitudo comparetur, judicium informetur & augeatur, veritas in abstrusissimis rerum thalamis delitescens ervatur & indagetur, studiosæ juventuti commendant. Opinionum autem divortia hæc magnam in Academias invehere cladem, vix ac ne vix quidem negari poterit. Quicquid vero ejus dissensionis sit: Illos, qui disputationes sobrias & doctas in rebus habent

pulcris

pulctis, neceſſarijs & vtilibus, rectius & melius ſentire, argumentis numero plurimis & pondere graviſſimis ad oculum oſtendi poteſt. Quare & ego potiorem eligens ſortem, diſputationum exercitijs, continuò ac per ætatem ac facultatem ſuperiorum autoritate & decreto indultam licuit, multum tribui, ijſq; in Megapolitanâ Academia Muſis litantibus, quantum in luco & fano virium mearum poſitum fuit, DEI auxilio prodeſſe volui; Sic, vt diſputando pelluſtratis Philoſophiæ Theoreticæ plæriſq; partibus, ad practicas progreſſum fecerim. Eſt enim practicæ Philoſophiæ tanta dignitas, tanta neceſſitas, tantaq; demum vtilitas, vt in vita humana Theoretica nequaquam illi par ſit reputanda. Sola namq; eſt, quæ quid faciendum & á quibus abſtinendum, præſcribit: Sola eſt, quæ mores informat, vt legi naturæ congruant: Sola eſt, quæ vrbes & Politias conſtituit, conſtitutas legibus inſtruit, inſtructas continet & conſervat; vſq; adeò, ut ſine morali Philoſophia nulla ſocietas neq; publica neq; privata neq; domeſtica neq; civilis conſiſtere queat. Vnde factum, ut ab Ariſtotele auguſtiſſimo ἀρχιτεκτονικῶς titulo paſſim ſit inſignita. Licet verò omnia illa, quæ ad mores pertinent, rectius & melius ex limpidiſſimis Iſraëlis fontibus, quàm ex vllo Ariſtotele vel Cicerone hauriantur; quippe in quibus norma atq; regula credendorum & agendorum perfectiſſimè à ſpiritu DEI Prophetarum & Apoſtolorum miniſterio conſignata extat: Tamen ex morum præceptis, prout illa à gentilibus philoſophis tradita & expoſita ſunt, in omnes vitæ humanæ partes maximum dimanare & redundare emolumentum; adeoq; illa in ſcholis Chriſtianorum eſſe

rum esse retinenda, ab elegantioribus & sanioribus tantum abest, ut negetur, ut potius magno consensu asseratur, stabiliatur, defendatur. Quam ob causam ego quoq; filum & ductum Aristotelis in Exercitationibus hisce Ethicis per omnia sum secutus, adiectis varijs ijsq; utilissimis, nostro hoc ævo quæ inter civiles Philosophos agitantur, quæstionibus,

Quod autem hunc meum qualemcunq; laborem V. *ris* St. *tatibus* inscriptum & sacrum esse voluerim, fecit non modò favor & singularis V. V. Str. erga studia liberalia affectio, quæ ab omnibus prædicatur; Sed & amor ardens erga veram & sinceram Religionem, quâ patriam nostram felicissimam constituere nunquam non V. *ræ* Str. *tes* laborarunt; Quo profectò nomine ipsis omnia vicissim deberi, non nisi extremè improbus diffitebitur.

Rogo autẽ V. *ras* Str. *tes* eâ, quâ decet, animi submissiõe, ut hoc quicquid est laboris, à me ignoto oblatum benignè adspicere & accipere, meq; Celsissimo & Illustrissimo principi ac Dno. Dn. Adolpho patri patriæ &c. de meliori notâ cõmendare velint. Eo enim mihi meisq; studijs nihil salubrius, nihil utilius accidere posse, certum est. Deum oro Patrem illum Luminum, fontem & largitorem omnis boni, ut V. *as* St. *tes* à malo omni protegere, benedictionibus è cœlo replere, Salute animæ & incolumitate corporis ad Ecclesiæ, Reip. omniumq; bonorum utilitatem ditare velit. Dabam Rostochij è Musẽo meo. die 19 Martij Anno M. DC. XVII.

Vestrarum Strenuitatum

Observantiss. Studiosiss.

M. CASPARUS MOVIUS.

Parch.

DISPUTATIONUM ETHICARUM I.

DE CONSTITUTIONE PHILOSOPHIÆ MORALIS ejusq; partis communis, Ethicæ.

Respondente BALTHASARE Moltken *Equite Megap.*

THESIS I.

Citè admodùm & venustè Savanarola in Epit. Eth. con. 4. scribit: proprium hominis esse se ipsum ad finem perducere; *nim. ex intentione naturæ creantis, quæ tamen, prô dolor, sapiusculè frustratur, ut constat. Finem verò hominis ponimus in actione virtutis perpetuâ* cum veritatis Philosopho lib. 1. Eth. Nic. c. 6. *Unde arguimus: hominem per internam naturæ commotionem ad hunc finem, ad hanc actionem ferri; quod concludit Piccol. Introduct. ad phil. Moral. c. 1. grad. 9. c. 6. ex Aristot. lib. 1. Eth. Nic. c. 1. quin & ad ejus cognitionem; Adeoq; hunc finem naturâ esse notum. Quî enim rei ignotæ existeret cupido?*

2. *Porrò finis hujus παραγωγέως Philosophia moralis nobis exhibet; cujus parti communi, hoc est, Ethicæ (parte propriâ in tempus aliud rejectâ) aliquot exercitationibus inclusæ, quantum temporis ab occupationibus nobis vacabit alijs, velificaturi Divini numinis παρεδρίαν καὶ παρουσίαν seriô imploramus.*

3. *Aditum vero ad hanc arbitramur legitimum illum, qui constat antegressâ quâdam naturæ illius, imô totius philosophiæ moralis cognitione, quam constitutionis appellatione rectissimè alij designant. Et hanc cum Zab. lib. 2. Apol. c. 1. extra ipsam locamus artis essentiam, vitiosum quippe existimantes, ἅμα ζητεῖν ἐπιστήμην καὶ τρόπον ἐπιστήμης Arist. 2. Met. c. 3. Id quod contra mundi Novatores Ramæos observasse semel, proderit semper. Modus autem iste absolvitur definitione, divisione & ordinis ratione.*

4. *Definitionem ergo tradimus ejusmodi: Philosophia*

practica est prudentia virtutibus hominis appetitum rectæ rationi subjiciens, ad consequendum summum bonum civile.

5. Quam omni numero absolutam & perfectam statuimus. Idq; ut plenè & perfectè cognoscatur ab omnibus, in minima & prima sua principia definitionem succinctè & breviter, sumpto exordio ab ἐρίζομαι, ἀναλύσομαι, prout disputationum fert ratio.

6. Definitum est Philosophia practica, seu, quod idem, pars Philosophiæ practica: quæ appellatio à fine desumpta omnium convenientissima ipsius quoq; objecti non obscuram significationem involvit. Vide Aristotelem 2. Eth. c. 2. lib. 10. c. ult. Alio nomine vocatur Philosophia περὶ τὸ ἀνθρώπινα. 10. Eth. c. ult. Dicitur etiam absolutè Philosophia, quæ appellatio frequentissima est apud Ciceronem, sed non adeò exquisita. Aristoteli quoq; 1. Nic. 1. & 1. Mag. Mor. c. 1. venit nomine Πολιτικῆς, nomine nimirum partis ad totum συνεκδοχικῶς translato.

7. Ab ἐρίζομαι ad ἐρίστικὸν proxima via est, in quo primùm Genus sese offert. Facimus autem illud prudentiam. I. quia inter quinq; illos habitus principales (quibus Philosophiam moralem accensendam, extra controversiam est) quos Aristoteles 6. Eth. c. 3. tradit, præter prudentiam nullus practicæ Philosophiæ assignari potest. II. quia prudentia de Philos. morali in quid prædicatur non conversim per se, illiq; totum suum esse communicat. III. Philosophia moralis πρὸς σπουδαίους Aristoteles 1. M. M. c. 1. At nullus habitus præter prudentiam facit bonos. E.

8. Cæterum Clariss. Sigis. Evenius in disp. Eth. 1. theor. 2. th. 3 geminâ adversus hoc genus insurgit ratione. (1.) quia prudentia practicâ philosophiâ sit natura posterior, cum tamen, si verum genus, natura prior esse deberet. Aristoteles in prædic. (2.) quia genus in unâ specie non conservetur, nec cum eâ reciprocetur, sicut prudentia cum Philosophia morali. Verum Respond. utramq; rationem ἐκ ἀρχῆ λαμβάνειν. Et quidem prudentiam Philosophiâ practicâ esse priorem, quatenus nim. de habitu in intellectu practico hærente intelligitur, patet ex eo, quid sit naturâ prius. Sin verò per Philosophiam practicam præcepta debeant intelligi concedimus

mus prudentiam illâ esse posteriorem, sed tùm, præterquam quod præceptis καταχρηστικῶς tribuitur nomen Philosophiæ practicæ, committitur σόφισμα ἑτεροζητήσεως. Deinde divisionem generis per differentias oppositas actualem, non esse de essentiali ejus ratione, adeoq; genus in unâ specie actu conservari posse, alibi sufficienter à nobis est probatum. Vide sis Regium lib 1. disp. log. prob. 2. 194. Scheiblerum in lib. sent. Exer. 17. th. 7. Quod vero reciprocatur prudentia cum Philosophiâ morali, quod aliàs divinus præceptor lib. 4. Top. c. 1. signum vitiosi generis esse docet, id fit ex accidenti; quod vel exinde conspicuum evadit, quia ἰσοδυναμεῖτα ob alias atq; alias definitiones non sunt. Aristoteles verò in loco præallegato loquitur de eo, quod est per se. Inconcussum ergo nostrum stat genus.

9. *Proinde reijcimus genera adulterina, ut sunt I.* Philosophia, *quod ponit Piccolomineus in introd. civil. phil. c. 6. Non enim Philosophia est totum universale, quod dicat naturam speciebus, superiorem sed integrale. Jam vero totum integrale non prædicatur de parte II.* Compages, *quod Keckermannus in præcog. Eth. statuit. Compages enim est in prædic. Relationis, Philosophia moralis in prædic. Qualitatis.*

10. *III.* Doctrina, *quod Schultetus lib. 1. Ethic. c. 1. statuit, Nullum enim accidens est rei genus. Aristoteles 4. Top. At doctrina est accidens Philosophiæ moralis. E.*

11. *IV.* Ars, *quod Genus est Sagittarij in Temp. Virt: ἀγωνισ. 1. ἀπρήμασι 1. Exercit. Eth. Exot. th. 2. & Timpleri lib. 1. Syst. Eth. lib. 1. c. 1. quæst. 2. Ars enim est habitus ποιητικὸς, Ethica vero habitus πρακτικὸς: hæc sine habitu corporis est, illa habitum corporis necessario requirit, ut docuimus alibi. Vide Clariss. Arnis. in notis Crellij part. com. cap. 1.*

12. *V.* Scientia, *quod genus multis cum alijs constituit Evenius l. a. ratione innixus hâc, quia Philosophia Theoretica & practica habeant se ut species ἀντιδιηρημένα, Illam ergo scientiam qui appellat, hanc eodem indigetare nomine nolens volens cogitur, nisi sorores connjuctissimas matre diversâ prognatas velit dicere. Pererius lib. 1. de commun. prin. c. 2. similiter scientiam practicam dicit.*

13. Sed nos cum Arnisæo in vindiciis contra Rhædum p. 157. monstrum putamus practicam scientiam in Philosophia Aristotelis, quippe qui differentias oppositas praxin & theorian statuat passim 6. Met. c. 1. & 3. de anim. &c. Negamus ergo constanter Philosophiam practicam esse scientiam. Argumenta hujus negationis nobis suppeditantur multa ab Aristotele lib. 1. Post anal. passim & Zab. lib. de trib. præcog. c. 2. lib. 1. de nat. log. c. 15. Unde sequentem describimus Aphorismum: Subjectum, inquit, (Scientiæ) est Ens necessarium & nobis præcognitum, tùm quid nomen significat, tum quod sit; debet etiam habere proprias affectiones & propria principia, ut affectiones per principia demonstrentur: & nullus alius debet esse scopus Philosophi in tali subjecto contemplando versantis, quam ejus subjecti affectiones & principia, si latuerint cognoscere.

14. Ex his Zabarellianis assumo: At Philosophia practica tale subjectum non habet. Ergo Philosophia practica non est scientia. Assumptionem confirmo: quia Subjectum ejus est homo quatenus est beandus, id quod paulo post fusius ostendemus; At vero hoc subjectum est producibile à voluntate humana, adeoq; in ejus arbitrio, & nequaquam necessarium. Deinde omnia quæ cognoscit Philosophia moralis refert ad praxin, τέλος δὲ γνῶσις ἀλλὰ πρᾶξις Aristoteles lib. 10. Eth. c. ult. quod iterum contra scientiæ naturam.

15. Quin imò concludimus ex hypothesi datâ invictè, Ne quidem ullam scientificam conclusionem vel demonstrationem in practicis disciplinis reperiri, quod concedere videtur Scheiblerus lib. de nat. Phil. quæst. 1. p. 121. seriò contendit Sagittarius in disp. Exoter. 1. th. 2. Keckermannus lib. 3. syst. Log. p. 539. Placet hoc in uno saltem exemplo ὀφθαλμοφανῶς ostendere. Demonstrationem dicunt: Qui habet crebram & constantem repetitionem actionum virtualium, is acquirit habitum virtutis. At vir bonus habet crebram &c. Verum ubi hic subjectum necessarium? An tibi vir bonus in rebus numeratus necessarijs? Anne conclusio ad praxin directa?

16. Nec prodest Evenio, quod ex Zabarellâ in lib. 1 post § 66. adducit, in activis disciplinis Syllogismos fieri, qui licet non simpliciter, in suo tamen genere vocari possint demonstrationes; largimur enim ipsi hoc τῶν ἀμφοῖν, Largimur etiam Philosophiam practicam posse vocari scientiam. Cæterum nobis quæstio est, An scientia sit verum & accuratum Philosophiæ practicæ genus? Id quod pernegamus, & nobiscum negat Zab. in lib 2. post. anal. text. 50. disertè. Præter positas addimus rationem aliam quia vox hæc tributa disciplinis practicis accipitur impropriè. Impropriũ verò genus in definitionibus non esse tolerandum constat ex decretis Logicorum, & conceptis verbis docet Aristoteles lib. 2. post c. 15.

17. Frustra:

17. Frustra etiam Aristotelis autoritas nobis obtenditur, qui præterquam quòd lib. 2. post. analyt. c. 11. exemplis practicis doctrinam demonstrationis declarat, lib. 1. post. c. 25. expressè scribit, τῶς δὲ συλλογισμοὶ (ἀποδεικτικὸς) ἢ δι' ἀναγκαίου, ἢ ἀφ' ὧν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ πρότασεων: Ad exempla enim ista parata est responsio, in ijs veritatem quærendam non esse, ut docet cum Schegkio lib. 14. de demonst. p. 415. Zabarella in lib. post. analyt. c. 8. t. 50. sed satis esse si per ea id, quod propositum est, declaretur. Ad locum vero adductum quod attinet, Pacius quidem super illo per res ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ evenientes intelligit res Ethicas, sed non satis ad mentem Philosophi, quam accuratissimè declaratam videas ab oculissimo Zabarella in lib. 1. post anal. c. 24. t. 181. Nec ratio Evenij solida est, cum Philosophia totum sit non universale adeoq; species tales non habeat, sed tantùm integrale.

18. Et hactenus paulo fusius de genere, quod in definitionibus accidentium formæ locum supplet, quâ de re erudita vide apud Regium lib. 2. disp. Log. prob. de definit. Quod vero Sagittarius l. a. th. 6. & 7. Formam Ethicæ in legitimâ præceptorum Ethicorum dispositione locat, & materiam ejus statuit, esse præcepta Ethica, id non censemus esse ad palatum τῶν ἐκ τοῦ περιπάτου. Ethica enim ab illis non in libris sed in mente suum obtinere τὸ εἶναι ὁλοψύχως docetur. Falsum præterea est, accidentia habere materiam ὑποκειμένην. Aristoteles lib. 8. Met. c. 4. Zab. lib. 2. de medio demon. c. 6. Scal. Exer. 298. s. 10. Exer 325. s. 2.

19. Genus in definitione positum materiam in quâ Philosophiæ moralis seu subjectum, causam quoq; ejus efficientem dilucidat. Subjectum est intellectus practicus ἀκριβῶς loquendo & non Phantasia, ut cum Piccolomineo ex grad. 5. c. 6. statuit Evenius theor. 3. th. 5. l. a. quod infra probabimus σὺν Θεῷ.

20. Causa efficiens est vel principalis vel instrumentalis: Principalis iterum est vel prima vel secunda. Prima est Deus ter Opt. Max. qui notitias naturales practicas non modò insevit primitus; sed suo afflatu etiam promovet immediatè concurrendo ad quasvis actiones causarum particularium. Harum enim effectus immediatè Deum attingere inculcant Metaphysici. Quæ ratio est, cur Deum remotam causam Ethicæ vocare cum Sagittario th. 3. nolimus; proximè enim influit in effectus quosvis causarũ secundarum. Et apertè sacrarum scripturarum oracula docent, Deum non remotè seu longè abesse à quoquam Act. 17. v. 27.

21. Causa principalis secunda est ipse homo seu intellectus ejus. Hic enim sui quadam agitatione habitus producit principaliter. Instrumentalis est partim recta ratio, per quam κοιναὶ ἔννοιαι & residuas imaginis divinæ portiunculas intelligimus, partim vox præceptoris docentis & præcepta, quæ intellectui per mẽdum instrumenti inserviunt.

22. *Differentia Philosophiæ moralis à materiâ circa quam seu objecto est desumpta. Distinguimus autem inter subjectum totale & partiale, inter subjectum* κατηγορίας καὶ ὑπάρξεως, *inter subjectum Quod & Quo. Subjectum partiale,* ὑπάρξεως, *Quo, est partim intellectus practicus, & non tantùm, ut Hunnius disp. Eth. 1. t. 2. vult, partim appetitus, non per se* λόγον ἔχων *seu voluntas, ut docet Keck. in præcogn. Eth. sed* δι' ἄλλου *seu appetitus sensitivus. Subjectum totale,* κατηγορίας, *Quod, est homo. Et hoc subjectum totale demum exquisitum est, adeoq; in disciplinis* πρώτως *designandum. Sunt enim actiones & passiones propriè singularium Aristoteles 1. Met. c. 1. Fonseca. lib. 1. Met. c. 1. quæst. 5. s. 3. Scal. Exer. 303. s. 36.*

23. *Est autem homo objectum Philosophiæ moralis non quâ talis, sic enim ejus considerationem Physica sibi vendicat, sed quâ beabilis. Omnia hæc accuratè in definitione sunt posita; fit enim mentio objecti partialis, fit mentio totalis unâ cum modo isto considerandi, ut vel cæco apparet.*

24. *Cæterum hominem, quatenus ille beandus est, objectum Philosophiæ moralis esse, tripliciter probat Velstenius disp. 1. Exerc. Eth. th. 5. Nos unica evidentissimâ ratione in præsens hoc planum faciemus. Illud est proprium & genuinum Philosophiæ moralis objectum, in quod finis ejusdem introducitur* ἀναντιρρήτως καὶ ἀναμβισφήτως *verum. At Finis iste introducitur in hominem. Ergo ille proprium & genuinum objectum erit. Id quod erat concludendum.*

25. *Eadem ratione evincimus Subjectum Philosophiæ moralis seu Ethicæ non esse* (1.) actionem *ex hominis libertate prodeuntem, ut in ea honestum & quod docet, natum est refulgere, quæ Piccolominei opinio est in introd. phil. civil. c. 4. solidè refutata à clariss. Velstenio l. a. Et quis adeò foret absurdus, qui beatitudinem in actiones, actionem nimirum in actionem introduci assereret?*

26. (2.) Actiones, *prout à nostro arbitrio pendent & ad finem referuntur civitatis, qui error à Piccol. c. 2. tribuitur Averroi & Thomæ. Error, inquam, quia licet quidem actionum principia tractentur 3. Eth. Nic. fit tamen hoc unicè propter hominem beandum, atq; sic multo magis hominis beandi principia traduntur. Quin etiam ad hominem beandum omnia in Philosophiâ hâc referuntur, id quod infallibile veri objecti est indicium.*

27. (3.) Finem hominis seu summum bonum, *ut statuit Schultetus l. a. Neq; enim virtutis actio in seipsam introducitur; Nec finis unquam nisi per metaphoram subjectum dici potest Zab. lib. 1. de nat. log. c. 15.* (4.) Virtutem, *ut putarunt Stoici. Est enim ea medium, per quod tendimus ad summum bonum, ut constat unanimi sapientum consensione. Ergo non est subjectum, in quod summum bonum est introducendum.*

28. Rectè

28. Rectè igitur à nobis objectum Philosophiæ practicæ constitutum sit homo, quâ beabilis est. A cujus contemplatione ante quam abeamus, brevissimis indicabimus, quid ad argumenta Piccolominei sit respondendum. Primò ergò negamus, principia actionum humanarum eo respectu in civili Philosophia inquiri. Deinde prudentiam & civilem scientiam simpliciter esse rem eandem itidem negamus. habet enim se hæc ad illam ut species ad genus, quæ duo ex naturâ rei differunt; unde simpliciter eadem etiam non habent definitiones. Et Aristoteles 6. Eth. c. 8. expressè inquit, ἔστι δὴ καὶ ἡ πολιτικὴ, καὶ ἡ φρόνησις, ἡ αὐτὴ μὲν ἕξις, τὸ μέντοι εἶναι οὐ τὸ αὐτὸ αὐταῖς. Quibus autem non est essentia eadem, illa nec simpliciter sunt res eadem. Item, quæ non simpliciter sunt res eadem, illa quoq; non simpliciter idem habent objectum. Deinde prudentia versatur circa actiones determinando in ijs τὸ μέσον ob ipsum hominẽ beatum. Ob hunc enim omnis virtus & intellectualis & moralis inquiritur.

29. Finis quoq; in definitione manifestatur, isq; unicus & solus est εὐδαιμονία, quam Philosophia moralis, quatenus talis perpetuò consequitur. Probo: Omnis Philosophus moralis est prudens, quia Philosophia moralis est prudentia. Omnis prudens est vir bonus, Aristoteles 6. Eth. c. 13. Ergo omnis Philosophus moralis est vir bonus seu felix. Ergo Philosophia moralis εὐδαιμονίαν includit. Negq; enim, inquit, Donald. sonus lib. 1. Syn. Eth c. 1. Ethicus ille dicendus est, qui ea intelligit, quæ in Ethicorum libris scripta sunt, sed ille, qui ea & intelligit & secundum ea vivit.

30. Hactenus de definitione, quam divisio κατὰ μόδα insequitur. Probam autem & veram Philosophiæ moralis divisionem arbitramur illam, quâ in partem communem seu absolutam & propriam seu relatam, ut loquitur Donald: secatur. Communem vocamus illam, quæ in genere docet, quomodo ad felicitatem perveniendum, & dicitur vulgo Ethica. Propriam, quæ generalia illa in parte communi tradita societatibus accommodat certis, docens quomodo ad beatitudinem in suo quilibet statu pertingere possit. Divisionem hanc egregiè probatam, vide apud Piccol. l. 1. c. 8.

31. Trimembrem Philosophiæ practicæ divisionem in Ethicam, Politicam, Oeconomicam, quam tradunt Acciajolus in proœm. Eth. Magirus in prolegom. Eth. à quibus non dissentit Keck. in præcogn. Eth. reijcimus. Propria pars iterum subdividi potest in Polilicam & Oeconomicam, illa generalia præcepta ad statum Politicum, hæc ad Oeconomicum specialiter accommodat. Pars communis usitatè subdistingui solet in εὐδαιμονολογίαν & δεοντολογίαν. Ubi statim nascitur quæstio an εὐδαιμονολογία constituat partem Ethicæ intrinsecam & essentialem? Cujus quæstionis affirmativa apud Zabarellam lib. 2. Apol.

c. 1. & 3. plana est: & stabilitur ex bonis bonæ divisionis legibus, quæ ad amussim huic nostræ conveniunt.

32. Sed ratio dubitandi sumitur partim ex Scaligero, qui finem essendi rationem non ingredi, nisi quando cum formâ idem est, apertè docet Exer. 307. s. 27. partim ex Zabarella, qui lib. 1. de nat. Log. c. 15. dicit, Finem eandem rationem habere ad artem, quam subjectum ad scientiam. Unde assumptio. At subjectum est extra scientiam cujus est Zab. lib. de trib. præcop. c. 5. Ergo & finis erit extra artem.

33. Verum distinguimus inter finem: qui est vel substantiarum vel accidentium. In substantijs finis non ingreditur essendi rationem: In accidentibus verò ingreditur sive sit internus sive externus, si non in omnibus saltem in pleris. Sed finis externus ratione intentionis pertinet ad rei essentiam, & non executionis respectu. Vide Scal. l. a.

34. Ad dubitationem ex Zab. Resp. 1. inter finem artium & subjectum scientiarum magnam quoq; esse dissimilitudinem, Zab. ibid. 2. De fine in Ethicis etiam quædam prægnoscì, quæ ipsam ejus essentiam non ingrediuntur, quæ qualia sint vide 1. Eth. Nic. c. 1. quod integrum caput est instar proœmij & introductionis ad universam Philos. moralem, ut ex clausula patet, quâ caput istud concludit Aristoteles. Sed videatur caput illud 15. ex Zab. adductum, Ex quo nos συμπεραινόμεθα, 1. felicitatem partem essentialem Philosophiæ moralis seu Ethicæ constituere 2. De eâ rectè agi & ab initio & in fine Ethicæ tractationis, quod facit Aristoteles lib. 1. & 10. Ethic. Nic. & quidem utrumq; librum de essentia Ethicæ esse statuimus.

35. Ut ergo tandem deveniamus ad id, quod est ultimum hujus dissertationis, eamq; concludamus, ex posteriori posito συμπεράσματι colligimus: Philosophiam moralem adeoq; Ethicam non nisi Methodo analytica esse tradendam, secus atq; putant clar. Sagittarius Exercit. Eth. Exot. 1. th. 1. & Evenius disp. Eth. 1. theor. 4. cum Piccolomineo in Comite Polit. p. 965. Quod verò Evenius dicit, Inventionis ratione, quam Aristoteles sibi habuerit propositam hic regnare ἀνάλυσιν, rectæ vero institutionis legentium, aptæq; conformationis animi eorundem respectu σύνθεσιν obtinere, id nulla ratione constare potest; quod vel hinc probatur, quia Aristoteles rectæ institutioni legentium in omnibus suis disciplinis se accommodavit, adeoq; ad faciliorem cognitionem respexit. Quid? quod inventio & traditio artis sit idem, unde & hæc & illa necessariò à fine initium faciat, ut probat Zab. lib. 2. Apol. c. 6. Quem sis vide. Reperies apud illum, quæ & ad nostram assertionem stabiliendam & contrariam opinionem destruendam sunt aptissima, efficacissima, fortissima.

Τῷ Θεῷ δόξα.

DISPVTATIONVM ETHICARVM III.

De virtute morali in genere.

Respondente LAURENTIO SCHRODERO *Parch.*

THESIS I.

VErissimè & scitissimè Acciaiolus lib. 2. Eth. c. 1. Ejusdem, inquit, est considerare de termino & de ijs, quæ ad illum terminum ferunt. Cum igitur antegressâ συμφιλολογίᾳ nobis dissertatum sit de ultimo hominis termino, quem, quia finis cujuslibet rei est propria ejus operatio, docente Thomâ part. 1. q. 105. art. 5. in actione secundum virtutem perfectissimam perpetuâ collocavimus, ad ea, quæ ad finem perducunt, progredi, ordinis lex præcipit.

2 Altera ergò Ethicæ pars hic nobis ex ordienda, quæ proponit media ad ultimum bonum nos provehentia. Iure autem hæc pars postremum tenet locum, quia media se habent ad finem sicut conclusiones ad principia in intellectu, ut iterum inculcat Thomas part. 1. q. 19. art. 5.

3. Media ad finem, quem proximâ disputatione contemplati fuimus, sunt solæ virtutes. Solæ, inquam, virtutes; ut intelligas Keckermannum errare, qui amicitiam mediis annumerat. Cum n. amicitia virtus non sit, ut suo probaturi sumus loco, sed virtus fundamentum amicitiæ, quemadmodum ipsus tradit Keck. lib. 3. syst. Eth. c. penult. ex Arist. 8. Eth. Nic. c. 1. utiq; amicitia medium non erit finis acquirendi. Vna enim via ad finem virtus pulcrè scribit Scal. Exer. 254.

4. Virtutem moralem, quia ea cumprimis medium est ad beatitudinem civilem, potissimum hic spectamus. Definit illam Arist. 2. Eth. Nic. 6. lib. 1. M. M. c. 4. & seq. hunc in modum. Ἀρετή ἐστι ἕξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι οὖσα, τῇ πρὸς ἡμᾶς, ὡρισμένῃ λόγῳ, ᾧ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειεν, Definitionem hãc probam, quicquid etiã Schult. lib 1. Eth. c. 3. & alij interpellẽt, õninõ cẽsemus.

5. Circa definitum quæ observanda hic veniunt, inquirantur apud scriptores Ethicos. Definitio ad vivum nobis est resecanda. In quâ Genus est habitus; Idq; proprium esse & accuratum diductè monstrat præceptor sapientiæ lib. 2. Eth. Nic. c. 4. 1. M. M. c. 7. & §. 2. Eudem. c. 1.

6 Genus positum in trium nos ducit cognitionē. (1) nobis non esse sermonem de virtute pro eminentiâ accepta, quo sensu DEVS justus etc. nuncupari consuevit: nec pro umbra ac tenui virtutis imagine, quo significatu Arist. lib. 8. hist. anim. c. 1. jumentis virtutes morales tribuit: nec pro dispositione & propensione naturali ad virtutem, quo modo Arist. lib. 6. Eth. Nic. c. vlt. nos naturâ esse fortes etc. docet: sed de virtute, labore, studio & diligentiâ nostrâ comparatâ.

7. (2.) Virtutem moralem nobis naturâ non esse insitam: si enim habitus est ἐπίκτητος, utiq; naturâ non inerit. At prius est, nē omnes σπουδαίους dicere adeoq; contra sensus statuere velimus. E. Assertionem nostram multis rationibus stabilitam vide apud ducem nostrum lib. 2. Eth. Nic. cap. 1. lib. 1. M. M. c. 6.

8. Quamvis autem virtus naturâ nobis non insit, non tamen ob id continuò contra vel præter naturam nobis obtingit. Ratio: Cujus rei ἐπιληπτικὰ & habilitatem à natura concessam possidemus, illa nobis cōtra vel præter naturam nequaquam inest. At virtutis ἐπιληπτικὰ à naturâ datam habemus. Ergo ea præter & contra naturam nobis non obtingit. Major constat ex eo quid sit præter vel contra naturam. Minor est Philosophi 2. Eth. Nic. c. 1.

9. (3) Causam virtutis efficientem proximam esse actiones appetitus, non cujusvis, sed qui rectæ rationis dictamini se submittere natus est, ideoq; non quascunq; esse actiones, sed bonas seu in mediocritate positas. Arist. 2. Eth. Nic. cap. 2. Toto enim genere causam & effectum differre impossibile est. Vnde eluceſcit, quid respondendum sit ad dubitationem, quam movet Acciaiol. lib. 2. Eth. c. 1. Nulla res magis perfecta oritur à minus perfecta: sed virtutes sunt magis perfectæ operationibus, quæ ipsas præcedunt. E. ex ipsis non videntur generari.

10. Quin imo dum dicimus actiones appetitus rectæ rationis ductui se subijcientis esse virtutis causam efficientem, intelligi datur, à nobis etiam huc vocari intellectus & voluntatis actiones, per quas appetitus actiones diriguntur ad mediocritatem. Dirigit ergo intellectus appetitum. Quod opus cum sit gravissimum, sine Dei concursu effici nequit. Concursus v. hic quia ordinariè actionem non limitat, requiritur in intellectu bonitas quædam accidentalis illi superaddita, à qua actiones ad bonitatem restringantur. Principalis ergo virtutis causa est DEVS & homo secundam intellectum

ãum & appetitum agens: Instrumentalis est recta ratio seu lex naturæ. Per rectam v. rationem non intelligimus ipsum intellectum practicum, sicut perperam facit Keck. lib. 1. Syst. Eth. c. 1. sed qualitatem ei connaturalem ab intellectu distinctam, quæ ipsa qualitas nihil est aliud, quam lex naturæ; Est autem lex naturæ naturalis quædam in homine δύναμις quâ bonum & turpe dignoscere πέφυκε. Vnde colligimus Keckermannum non ἀκριβῶς legem naturæ vocare principia practica, quæ definitore eodem l. a. sunt propositiones generales de honesto & turpi, quibus intellectus sine ullâ probatione assentitur. Lex enim naturæ actu inest homini cum nascitur, at non ista principia. Deinde principia ista sunt legis naturæ. Ergo non sunt ipsa lex naturæ.

11. Ut vero bonitas naturæ latens in actum traducatur, curam externam accedere oportet: sub qua elegantem educationem, diligentem institutionem & frequentem exercitationem complectimur. Cura externa alio nomine disciplina appellitari assolet, quæ est rectio facultatis rectè volendi, appetendi & benè agendi ab aliis in nos. Quantopere v. hæc sit necessaria, quotidianâ edocemur experientiâ. De modo productionis pulcrè Thomas, sicut, inquit, aliquis per principia speculabilia præcognita invenit de aliquo subjecto scientiam, quam nec prius per doctrinam, nec sibi congenitam à natura habuit: Sic operando per principia rationis practica, quæ sunt tanquam semina virtutum producit actiones bonas ex præscripto rationis, quibus frequentatis virtus perfectè acquiritur, quæ prius naturaliter latebat in principiis rationis practicis.

12. Diximus a. actiones in mediocritate positas esse immediatam virtutis causam efficientem, idq; autoritate Aristot. 2. Eth. Nic. c. 2. Cæterum quæstio de his agitatur inter scriptores Ethicos non vulgaris, quomodo nim. differant ab actionibus habitum virtutis consequentibus?

13. Donaldsonus lib. 2. Syn. Eth. c. 4. actiones habitum virtutis antecedentes nudâ constare mediocritate tuetur. Magirus in Com. Arist. Eth. lib. 2. c. 2. istam mediocritatem nullâ niti ratione rectâ docet. His non obscurè favet Keck. lib. 1. Syst. Eth. c. 1. Piccolomineus gr. 2. phil. mor. c. 10. actiones anvertentes habitum ab eundem sequentibus specie differre statuit. Hunc sequitur Sagittarius Exer. Eth. Exot. 3. th. 3. Hunnius disp. Eth. 3. th. 2. Acciaiolus lib. 2. Eth. c. 2. actiones consideratas ex parte suâ, hoc est, ipsarum actionum specie convenire censet, consideratas vero ex parte agentis specie differre.

14. Verum hos ad unum omnes errare arbitramur cum Velstenio. Primò

Verò mediocritatem illam, quâ actiones constant præcedentes, non carere rectâ ratione disertè docet Arist. 2. Eth. c. 2. Et communiter recta ratio inter causas virtutis refertur efficientes. Imò forent actiones istæ temerariæ & fortuitæ: si omnis eis recta ratio, scientia & proæresis adimeretur.

15. Deinde actiones istas præcedentes à consequentibus specie differre negamus. Ratio sit hæc: Quorum una est forma specifica ea specie conveniunt. Sed actionum antecedentium & consequentium una est forma specifica, nim. Mediocritas. Ergo specie conveniunt. Et sanè nullâ idoneâ ratione mediocritatem utrarumq; actionum esse formam, negari potest. Quin etiam pro nobis stat ipsa virtutis definitio.

15. Causa v. erroris his esse videtur (1.) quod in modo, quo utræq; fiunt actiones, formam earum ponant, cum tamen is duntaxat actionibus competat prout ex habitu profluunt, & non quatenus bonæ sunt, adeoq; sint potius harum actionum accidens. Ac certè notitiæ & prælectionis ratione has actiones non differre ante diximus ob id, quia constitutæ sunt in mediocritate, hoc est, ad circumstantias loci, temporis & personarum accommodatæ. Differunt ergo constantiæ & perfectionis respectu, quod discrimen tantum est accidentale, & secundum magis & minus, quod speciem non variat: oriturq; ex eo, quod præcedentes actiones sine habitu, sequentes v. ex habitu fiant: hoc v. nihil facit ad actionis bonitatem sed ad ejus vel facilitatem vel difficultatem, constantiã vel mobilitatem. (2.) quod non advertant, quo ordine potentia & habitus ad has actiones edendas concurrant, id quod ex Metaphysicorum scitis est discendum. Docent Ergo Metaphisici principale harum actionum principium esse ipsam potentiam, quam habitus inclinet, determinet, facilitet. Vtræq; igitur actiones principale principium agnoscunt idem; Vnde & actu primo eædem conveniunt.

16 Sit ergo nobis constitutum, specie has actiones convenire. Quod dum dicimus, subjecti ratione eas nonnihil differre non inficiamur; nam antecedentes sine habitu ideoq; mobiles sunt, consequentes vero fiunt ex habitu, ideoq; sunt immobiles. sed negamus contra Acciaiolum l. 4. hoc discrimen, quod agentis ratione attenditur. inferre specificam actionum istarum differentiam. Nam actio moralis bona non dicitur ob habitum sed ob mediocritatem, quam recta ratio definivit. Ex quo manifestum evadit, argumento Acciaioli nullum inesse robur, quod actiones præsedentes fiant à studioso, sequentes à non studioso. Nam ζητούμενον est, an actiones quæ ex habitu

prodeunt

prodeunt, specie differant ab ijs, quæ à potentiâ solâ habitu destitutâ oriuntur. Id quod negamus.

17. Porrò in definitione sequitur, quod sit habitus præelectivus. qui talis dicitur 1. quia actiones edit consultò & cum προαιρέσει conjunctas. Vnde à virtute exulant actiones (1.) naturales (2.) brutorum (3.) temerariæ (4.) coactæ. Prudentiæ Philosophus electionem assignat lib. 6. Eth. Nic. cap 13. Vnde omnes virtutes intellectuales hâc voce excludi non facile dixerim.

18. Cum verò virtus definiatur quod sit habitus præelectivus, perspicuum inde est, quod nunquam sit sine proposito constanti. Sed propterea non sequitur, virtutis genus esse propositum constans, ut contendit Schultetus lib. 1. Eth. c. 3. quem Timplerus lib. 1. Phil. pract. c. 2. q. 5. refutat. Sed & Timpleri definitio virtutis moralis nobis per omnia non probatur, quia naturam rei non satis distinctè explicat.

19. Dubitatur autem hic de subjecto virtutis moralis, quo de alij aliter sentiunt. Scotistæ & Thomistæ in intellectu simul & voluntate illam collocant, quibus adstipulatur Nic. Hunnius disp. Eth. 3. th. 3. Moderni ut Sagittarius Exer. Eth. 7. ἀποφάσει 1. Velstenius Exer. Eth. 3. th. 70. Hubmejerus disp. Eth. 6. th. 81. in voluntate tantum virtutem hærere docent. Keckermannus lib. 1. Eth. cap. 1. in voluntate & appetitu simul ponit. Savanarola justitiam voluntati, reliquas vero virtutes irascibili & concupiscibili facultati attribuit. Epit. Eth. conc. 5. & 7. Timplerus subjectum virtutem recipiens dicit, esse totum hominem anima & corpore constantem lib. 1. Phil. pract. c. 4. quæst. 1. Piccolommeus gr. 4. Phil. mor. c. 20. Acciajolus lib. 1. Eth. c. 13. Magirus lib. 1. Eth. c. 13. appetitum sensitivum adæquatum subjectum virtutem recipiens statuunt.

20. In tanta vero sententiarum discrepantia, quamvis primo intuitu quænam earum verior, non appareat, Piccolomnei tamen sententia præ reliquis eligenda nobis videtur, propterea quod ea & autoritate Arist. & optimis nitatur rationibus.

21. Autoritatem Arist. quod spectat, clara ea est ex locis sequentibus 1. Eth. Nic. c. 13. 2. Eth. Nic. c. 4. lib. 3. c. 13. lib. 1. M. M. c. 5. & 6. lib. 2. Eudem. c. 1. In quibus conceptis verbis testatur, virtutem moralem esse ἐν ἐπιθυμητικῷ ἀκολουθητικῷ τὸν λόγον ἐν ἑαυτῷ ἔχοντι.

22. Rationes produximus illas. 1. virtus moralis est vel in intellectu vel in voluntate vel in appetitu sensuum. Est n. ἀρετὴ ψυχῆς lib. 1. Eth. Nic cap. 13. At non in intellectu, quia inibi hærent virtutes intellectuales

tuales, quæ cũ moralibus non sunt confundendæ; Imò nulla virtus intellectualis per se cõparatur consuetudine, sed doctrinâ: moralis v. non doctrinâ, quia est in irrationali anima, quæ quoniam caret intellectu, nihil potest discendo percipere, Golius lib. 2. Eth. c. 1. sed consuetudine Arist. 2. Eth. c. 1. Negq; in voluntate; quia hæc habitu non eget, quod probat Piccol. gr. 4. phil. civil. c. 7. Nos ita procedimus: Si voluntas in operationibus suis ab intellectu pendet, utriq; intellectu benè habente etiam recte habebit voluntas. At prius est. Ergo. Minor probatur, 1. quia voluntas non tendit nisi in objectum cognitum. 2. quia voluntas nonnunquam vult malum sed non nisi sub ratione boni. Ergo etiam rum intellectum sequatur necesse est, qui objectum dijudicet. Quũ. v. voluntas abripitur ab appetitu, tum simul pravum est judicium in intellectu. Quandoq; etiam homo nolens quid agit, juxta illud Apost. quod nolo hoc facio. Imò in incontinenti ratio & voluntas probè consentiunt, appetitus saltem reluctatur. Voluntatem vero se suâ sponte à judicio intellectus sejungere, quod scribit Velst. Disp. Eth. 4. q. 9. non facilè asserverim, ob id, quod voluntas nunquam velit malum quatenus malum, ergo quidquid vult, vult ut judicatum ab intellectu. Et posito, voluntatem contra judicium rationis aliquando velle, quando nimirum ab appetitu violenter avellitur, tamen quando perturbationes sensuũ sunt compositæ, tum tale quid non accidet, adeoq; affectibus in ordinem redactis voluntas peculiari habitu non egebit. Concludimus ergo virtutem moralem esse in appetitu sensuum, qui τῷ λόγῳ μετέχει.

23. Ratio 2. quia in appetitu est ipsa formalis ratio virtutis. Ergo etiam vnà virtus. 3 Ratio: quia virtutes primò & formaliter agunt in appetitu, id quod patet exemplo continentis, in quo quia appetitus tergiversatur, habitus virtutis non est, etiamsi præelectio & intellectus rectè habeant. 4. Ratio: quia affectus in appetitu sunt. Ergo etiam inibi virtus erit, quæ occupatur circa affectus regendos.

24. Pro Scoti sententia quæ afferuntur argumenta, diluta extant solidè apud Piccol. gr. 4. c. 11. Accuratè autem ista cognita secum portant rationum à Velstenio allatarum solutionem. Sagittarij argumentum in eo fallit, quod regens & rectum locis & subjectis perpetuò distingui statuit, cum tamen contrarium pateat in habitu logico, qui regit intellectum & simul in illo tanquam in subjecto hæret.

25. Ad Hunnij argumenta notetur (1.) πλογικὸν, quod est depravatum & vitiatum

vitiatum à vitijs suis corrigi virtutibus intellectualibus, quarum ministerio appetitum subiugat. (2) Appetitum rationis capacem brutis non competere, ideoq; in ijs adæquatum virtutis subjectum non esse. 3. prudentiam à virtutibus moralibus plurimum differre, licet sine his illa non sit. Vide Arist. 6. Eth. c. 5. & 13. Acciaiolum lib. 6. Eth. c. 13.

26. Timplerus turpiter opponit quæ non sunt opponenda. Nam totum hominem esse subjectum virtutis moralis certum est, si sit quæstio de subjecto Quod, seu denominationis. Verum hinc concludere, Ergo appetitus non est subjectū, ἀφιλοσοφώτατον est, quia subjectū Quod tantū abest ut excludat subjectum Quo, ut potius præsupponat, sicut ex logicis notū est. Est igitur totus homo subjectum virtutis, sed non respectu corporis, ut craßè Timplerus. Et sanè si in subjecto Quod subsistendum esset, tum certe virtutum intellectualium & moralium differentia subjecti ratione assignari posset nulla, quod tamen frivolum est & erroneum.

27. Iustitiæ eadem est ratio, quæ reliquarum virtutum moralium, ideoq; aliud sibi non vendicat ab illis distinctum subjectum. Donaldsonus non videtur sibi de subjecto virtutis constare ut & in divisione animæ. Evenius disp. Eth. 3. theor 3. th. 5. & Piccolimei & Præceptoris Velstenij sententiam de subjecto virtutis se velle complecti, dicit: cæterum cum horum duorum opiniones sint contrariæ, ipsum etiam Evenium sibi contrarium esse necesse est. Piccolomineus enim in appetitu sensuum & non in voluntate; Velstenius verò in voluntate virtutes reponit, ut ex locis prræallegatis perspicuum est.

28. Interim vero dum virtutem moralem in appetitu sensuum collocamus, non negamus ad intellectum illam pertinere tanquam ad ducem & principem, quin potius hoc præsupponimus.

29. Materia ex quâ virtutis nulla est, quia accidens est, quod talem materiam non agnoscit, vt disp. 1. ostendimus. Frustrâ ergo pro eâ dimicant Sagit. Exer. Eth. 5. Velst. Exer. Eth. 3. th. 49. Materia circa quam sunt affectus & actiones, & consequenter voluptas & dolor Aristoteles lib. 2. Eth. c. 2.

30. Reliqua definitionis verba differentiam specificam una cum fine virtutis patefaciunt. Quæritur autem de λόγῳ virtutis τῷ λόγον ἔχοντι λέγοντι, quinam iste sit? Clar. Meisnerus part. 1. Phil. sob. s. 2. mediocritatem non esse virtutis essentiam docet, sed convenientiam cum rectâ ratione. Contra: convenientia cum recta ratione potest etiam competere actioni, quæ exhabi-

tu

eu virtutis non oritur. Ergo illa virtutis non poterit esse essentia. Imò convenientia & conformitas cujvis rei cõpetit, quatenus est bona, adeoq; etiam virtuti, quia res bona, vera & hominis perfectiva est. Ad rationes Meisneri in ipso Respondebimus conflictu. Schultetus similiter reijcit mediocritatem, sed argumentis planè stramineis. Scaliger Exer. 307. s. 3. 4. 27. ὀρθὸν λόγον ponit, sed ille causa est efficiens, quæ ipsam rei essentiam non ingreditur. Nicolaus Hunnius habitualem intellectus & voluntatis rectitudinem formam virtutis esse statuit. Sed ubi virtus moralis non est, ibi quoq; ejus forma non est quærenda. At in intellectu & voluntate non est. Ergo.

31. Retinemus igitur nos mediocritatem, in quâ formalem virtutis rationem collocamus. Intelligimus a. per mediocritatem talem appetitus rectitudinem, quâ secundum mentis judicium expeditè actiones in medio positas edere potest, unde virtus εὐχαρικὴ τῶν μέσων ab Arist. vocatur. Probamus autem nostram sententiam, 1. quia per talem rectitudinem appetitus virtus intimè concipitur. 2. quia tali rectitudine appetitus positâ ponitur, sublatâ tollitur, etiamsi reliquæ vires in homine omnes probè sint compositæ. Intelligitur autem ex his, mediocritatem non dicere puram negationem & privationem, neq; eandem ulla ratione à virtute abesse posse, quod contra Hunnij argumenta notandum.

32. Est autem virtus in mediocritate ad nos relatâ prout eam vir prudens definiret. Vir prudens n. respiciens ad rectam rationem & finem virtutis mediocritatem determinat. Finis autem virtutis est sola honestas Arist. l. M. M. c. 2.

τῷ θεῷ εὐχαριστία.

EXERCITATIONVM ETHICARVM IV.

De animâ actionumq; moralium Principijs & accidentibus.

Respondente BERNHARDO Heldt *Lemgoviense westphalo.*

THESIS I.



Vlcra sunt nec ullo negligenda modo divina verba illius nunquàm satis laudati Dictatoris, quæ lib. 1. Eth. Nic. c. 13. extant: Θεωρητέον τῷ πολιτικῷ περὶ ψυχῆς. Θεωρητέον δε τοῦτων χάριν, καὶ ἐφ' ὅσον ἱκανῶς ἔχει πρὸς τὰ ζητούμενα. *Ratio est, quia anima ut totius Philosophiæ civilis est subjectum, ita quoq; virtutis, vt præcedentibus διαλειβαῖο est determinatum. Omnis v. disciplina operatrix aliquam sui subjecti cognitionem postulat. Zab. lib. 2. de Nat. Log. c. 4.*

2. *Satisfacturi ergo & Arist. præscripto & discentibus totum de animâ negotium brevibus complectemur* ἀφορισμοῖς, *sic tamen ut paulo fusius,* περὶ τῶν παθῶν, *utpote de virtutum objecto, disseramus, atq; tandem de actionum moralium principijs & accidentibus pro re natâ tractemus. Quæ doctrina quamvis peculiarem disputationem sibi deposcere videbatur, tamen cum controversiarum difficultatibus septa minus sit, hujus portiunculam aliquam ipsi tribuere visum est.*

3. *Generalis animæ definitio ab Arist. 2. de anim. c. 1. t. 6. traditur ejusmodi: Anima est actus corporis Physici & organici vitam habentis potentia. c. 2. extat alia, quæ est à posteriori. Est a. anima triplex, vegetativa, sensitiva & intellectiva.*

4. *Vegetativa est actus primus corporis organici Physici, quo illud vivit nutritur, augetur & simile sibi in specie generat. Potentia ejus à Philos. numerãtur, tres, Altrix, auctrix & procreatrix; & hæ operationes edunt meræ naturales ideoq; ἀδαμῶς* λόγου κοινωνεῖσι, *Arist. 3. de an. c. 12. nim. per se, alias istæ facultates rationis imperium admittunt remotius & q. obliquè seu per indirectum. Sagit. Exer. Eth. Exot. 2. th. 5.*

5. Sensitiva anima est ἐνδελέχεια apprehendens & percipiens ea, quæ extra ipsam sunt. Magir. l. 6. Phis. c. 6. sed hæc definitio angustior videtur, quod virtutem omittat motivã, quæ appetitivam & prosecutivam includit Sunt igitur sensitivæ animæ potentiæ itidem tres, cognoscens appetens, prosequens seu locomovens.

6. Cognoscens est quæ species rerum sensibilium apprehendit & percipit præsentes vel absentes. Velcurio lib. 4. Phys. c. 6. hæc remotè etiam sequitur ductum rationis; propinquius & directè illum sequuntur appetitiva & locomotiva. Illa n. πολιτικῶς hæc δεσποτικῶς regitur à rectâ ratione Arist. l. polit. c. 5.

7. Locomotiva est quâ animal ab appetitu illectum, movetur loco vel totum vel aliquâ parte suâ ad prosequendum bonum & refugeindum malum, estq; hæc facultas partim volũtaria partim naturalis. Appetitiva est, quâ inclinatur animal vel in suum bonum, quod sensus sequendum, vel aversatur malum, quod ijdem fugiendum probaverint.

8. Potentia hujus actus dicitur appetitus, qui distingui solet in ἐπιθυμητικὸν & θυμικὸν. Quem utrumq; antequam per τὸ τί ἐστι declaremus, ratio istius divisionis investiganda nobis est, tum, quia de eâ Philosophis desceptatur, tum, quia in cognitionem ipsius quid est nos provehit.

9. Petunt v. istam rationem à duplici boni & mali habitudine, quâ bonum & malũ absolutè διωκτὸν καὶ φευκτὸν spectatur, vel cũ προσθέσει ejus conditionis, qua bonum & malum arduum & difficile dicitur. Thomas in primâ secundæ quæst. 23. art. 2. Magir. lib. 6. Phys. c. 16. Savanar. Epit. Phys lib. 12. conc. 4. etc. Alij ut Piccolomineus gr. 1. Phil. civil. c. 13. refert, inde rationem divisionis sumunt, quod appetitus concupiscibilis moveatur à voluptate, irascibilis à dolore. Piccolomineus a. l. a. utramq; repudiat opinionem & fundamentum divisionis capit ex eo, quod concupiscens circa bona corporis ejusq; illecebras occupetur, irascens v. circa bona, quæ magis ad animum pertinent, ut sunt honor, gloria, victoriae etc. Probat, quia bona ista distinguuntur & frequenter inter se pugnant, ut sic distincta sint (realiter) harum duarum facultatum objecta, vnde evenit quod earum voluptates & dolores distinguuntur.

10. Primam opinionem propterea sibi dubiam videri ait Piccolom. quod nullo stabili fundamento, nullâ insigni autoritate, nullâq; efficaci ratione sit firmata. I. n. animi facultates per objecta fines & actus distingui debent.

Arist.

Arist.3.de an.t.49.non per facile & difficile, quæ objectum re distinctum non constituũt (2.)absoluta appetitio honoris,gloriæ,victoriæ,præcisâ omni ratione ardui ad appetitum irascendi pertinet; quod confirmatur,quia arduum ut arduum non est aliquid optabile,nec includit rationem boni, ideo non valet constituere propriam rationem objecti appetitus. Ita quoq; intelligibile, sensibile,sive arduum sive facile,ejusdem facultatis est objectũ,(3.) Arist.2.polit.c,7. amorem refert ad irascentem, in quo tamen amore ratio ardui non includitur.(4.)Continentia pertinet ad appetitũ cupiendi,quia versatur in voluptuoso bono,nempe voluptate. At huic resistere maximè arduũ est, Arist. 2.Eth.Nic.c.2.Cum igitur uterq; appetitus circa arduum & facile versetur, ex hoc peti divisio rectè non poterit.

11. Piccolomineo dicam scribit Schultetus lib.de affect.c.3.(1.)quia portio concupiscens etiam occupatur in ijs,quæ pertinent ad animum:nam ex malis animi oritur tristitia, quæ concupiscentis est. 2.quia Bestijs competit portio irascens, in quibus bonorum animi respectus locum non invenit; pugnat n. pro voluptatibus corporis. Ratio igitur divisionis à Piccolomineo allata non erit bona, cum communia ista sint utriq; facultati. Quod v. commune est, nequaquam distinguere valet. Schultetus ergô rationem inde desumit,(1.) quod vis concupiscendi finem spectet primô & per se, postea quæ sunt ad finẽ, irascens v. quæ sunt ad finem.Nec dissentit Piccol.gr.1.c.13 (2.)quod vis irascendi ad puriora feratur minusq; obnoxia sit materiæ, præcipuè dum servit rationi.

12. Ex sententia igitur Schulteti ad argumenta Piccolominei responderi potest: Ad 1. esse hic diversa objecta actus q; diversos, cum finis & media ad finem non sint res una. Item aliam optabilis & boni rationem habere finẽ aliam media. Deinde bonum illud jucundum quod appetimus, arduum v.l difficile dici respectu mediorum, in quibus illa difficultas contingit; ideoq; non simpliciter facilis & difficilis respectu divisionem istam constitui,quantumvis licet verum sit quod vis irascens non exsurgat, nisi ardui conditio in medijs sese conspiciendam præbeat.

13. Ad 2. negando. Nam absoluta appetitio honoris laudis & gloriæ pertinet ad ἐπιθυμιάν,idq; ob rationis præsentiam:in brutis enim,ubi ratio abest, ista appetitio non cernitur. Ad confirmationem resp. ut media non expetuntur nisi ob finem, ita quoq; arduũ non ut tale expetitur, sed quia sine eo finis potiri nequimus. In intelligibili & sensibili disparitas & ratio diversa est ab appetibili, quam dare non est operosum.

14. Ad

14. Ad 3. amorem non referri posse ad irascibilẽ facultatẽ, nisi confunderet eam cum concupiscibili fuerit volupe. Qui v. genuinus istius loci ex divino præceptore adducti sit sensus, ipsa docet ἀντοψία & paulo diligentior ejus consideratio. Ad 4. voluptatem non tantum esse in concupiscibili sed etiam irascibili, Ergo continẽtia ad virũq; appetitũ aliquo modo erit referenda.

15. Quomodo differant inter se appetitus irascibilis & concupiscibilis nõ abs requæritur? Nic. Hunnius disp. Eth. 4. th. 2. Vnam docet esse facultatem, quæ respectu diversorum objectorũ diversas edat operationes. Piccolomineus re ipsa differre negat gr. 1. Phil. civil. passim. Cæterum nobis mens alia est. puto & verior. Dicimus igitur realiter differre facultatem concupiscibilem ab irascibili ex hoc fundamento, quod eodem tempore utriusq; appetitus sint cõtrarij motus, ut patet in cane, qui simul cupit panem & veretur baculum. Ex quo exemplo non rectè negat Piccol. gr. 1. irascendi appetitum non existere sine præcurrente motu cupiditatis: non n. canis verere turbaculum, nisi odio antè habuisset.

16. Ex his jam in proclivi est æstimare, qui affectus in quo appetitu sint locandi; quâ de re insequenti dissertatione uberius. Quid sint affectus paucis hic exponendum. Perturbatio, inquit Piccol. gr. 1. c. 5. est motio appetentis sensuũ facultatis, nec non spirituũ cordis ab objecto, quod per vim imaginãdi vel jucundũ nobis vel molestũ apparet pro molestia vitãdâ fruẽdaq; jucũditate.

17. Appellatio perturbationis multis displicet ob rationes, quas videre licet apud Velstenium Exer. Eth. 5 q. 2. quibus nostrum adjungimus Calculũ. Motũ cum dicimus, tam passivè quã activè istum capimus. Subjectũ affectuũ non esse intellectũ & voluntatẽ ex sequẽtibus patet verbis, sed appetitũ sensitivũ, hæc n. & nõ istæ facultates organo corporis vtũtur in suis ἐνεργείαις exerẽdis.

18 Organon affectuum propinquum est cerebrum; remotum v. cor. & non Epar. ut Galenus & Plato docebant. Vide Schult. l. a. Causa efficiens effectuũ in definitione indigetatur proxima & propinqua, ubi non simpliciter intellectus excluditur, qui & ipse affectus excitat. Scal. Exer. 307.

19. Elicimus a. exposita definitione. 1. affectus non esse opiniones: differũt n. subjectis opinio & affectus. 2. Non esse omnes naturâ malos ideoq; nec evellendos radicitus. Ab ipso DEO n. ad fines salutares sunt tributi animalibus. 3. cadere in virũ bonũ & sapientẽ, quia naturâ se suâ spoliare nequit. 4. Affectus esse in nostra potestate respectu cõfirmationis, non v. respectu initij & originis.

20. Et hæc paulò latius de appetitu. Anima intellectiva est actus spiritualis

per

per quem homo est homo. Facultates ejus duæ sunt, Intellectus & volũtas, quas contra Piccol. gr. l. c. 12. & Scal. Exer. 307. realiter differre statuimus. Intellectus distinctione rationis dividitur in Theoreticũ, qui & ἐπιστημονικὸς appellari mervit, Practicũ qui λογιστικὸς seu βουλευτικὸς vocari assolet, & Poeticum. Sed de his Scholæ Physicorum ἀκριβεστέρως. Vnicum hoc addimus, nim. tres illas th. 3. numeratas animas in uno homine realiter esse distinctas, ideoq; vegetantem & sentientem per naturã esse irrationales cõtra Scal. Ex. 307. s. 5.

21 Atq; hæc de anima cognovisse pro ratione præsentis instituti sufficiant. De actionum moralium principijs & adjunctis, quæ contemplanda hoc loco occurrunt διὰ βραχέων videbimus. Sunt a. actiones morales, quæ immediate ab appetitu profectæ fiunt sponte cum præelectione & consultatione adeoq; liberrimo voluntatis arbitrio.

22. Vt ergo exactè intelligatur, quæ actiones morales sint & dicãtur, cõditiones earum ut & Principia spectanda. A spõtaneo exordiũ sumẽtes definimus illud, cujus principiũ est in ipso agẽte & sciente singulas actionis circumstantias. Arist. lib. 3. Eth. c. 1. lib. 1. M. M. c. 15.

23. Invitum est, quod vel vi vel ignorãtiâ existit. Invitum vi seu violẽtũ est ὃ ἐκλόσ ἐστιν ἡ ἀπλία, ἀφ' ἧσ βιάζεσθαι πάσχειν. 1. M. M. c. 15. Estq; vel absolutè tale vel secundum quid. Absolutè violẽtum est, cujus principium extrinsecus tale existit, ut agens patiensve nihil quicquam adjumẽti ad actionẽ conferat. nim. respectu facultatis superioris. inferior facultas ut est locomotiva actionẽ promovere potest, licet cõpulsa, & tamẽ violẽta simpliciter ista dicitur actio, in quãtũ rationalis facultas nõ consentit. Vnde non est necesse ut plane nihil agat iste qui hoc modo agit, adeoq; absolutè capiẽdum nõ est ultimum hujus definitionis membrum, quod quidem putat Golius lib. 3. Eth. c. 1.

24. Violẽtum secundum quid est cujus principium partim internum partim externum est. Et actiones quæ taliter eveniunt à Sapiente lib. 3. Eth. c. 1. mixtæ appellãtur: partim n. voluntariæ sunt partim invitæ. Et quidẽ simpliciter cõsideratæ magis invitæ sunt, quia nemo ultro & suâ sponte eas suscipit, si ab externo movente voluntas sit immunis: consideratæ v. ratione finis, propter quẽ, & temporis, quo suscipiuntur, magis voluntariæ quam invitæ sunt nominãdæ Golius 3. Eth. c. 1 Ratio hujus videre est multiplex apud Arist. l. a. aut & quadruplex mixtarum actionum differẽtia, quæ vel laudẽ vel veniã vel vituperium merentur.

25. Invitum δι' ἄγνοιαν est, cujus principium est ipsa ignorãtia quarundã circumstãtiarum cum subsequẽte pœnitentiâ cõjuncta. Taliter quæ cõtingit

contingit actio aliàs nuncupari solet imprudens. Distinguendum a. hîc est inter ignorantem agere & per ignorantiam; Item inter agere per ignorantiam juris vel facti. Ignorans agit cui ignorantia non est principalis causa actionis, sed aliud quippiam quod istam ignorantiam induxit. Per ignorantiam agit, quem circumstantiæ quædam actionis latent, ut sola illa ignorantia simpliciter sit causa malæ actionis.

26. Ignorantia juris est, cum ea quæ jure scire tenemur, ignoramus. Ignorantia facti, cum quædam ignorantur circumstantiæ, in quibus tota actionis vis est posita, quas q3 ipse agens ante actionem nec prævidere nec præcavere potuit. Iam si quæratur anne actiones hæ veniam mereantur, respondendum est, (1.) Actiones quæ fiunt ab eo, qui ignorans agit & per ignorantiam juris, commiserationem & veniam mereri nullam (2.) Actiones quæ fiunt ab eo, qui per ignorantiam agit vel simpliciter vel facti, veniam mereri, quatenus pœnitentiam concomitantem habent. Si v. pœnitentia non sequatur ejusmodi actiones, oritur tum quæstio de agente, invitusne ille an sponte dicendus egisse. Ad quam quæstionem Aristot. respondet, quod nec ἄκων nec ἑκὼν sit appellandus, sed ἀκ ἑκών. Vbi monendi sunt Sacramentarij erroris sui, quo dementati mediũ inter velle & nolle agnoscere renuũt, quod Ethnicus Philosophus non facit, qui etiam inter beatum & miserũ ponit non beatum lib. 1. Eth. c. 11.

27. Prælectio est appetitio eorum quæ in nostrâ sunt potestate seu τῶν ἐφ ἡμῖν Arist. 3. Eth. Nic. c. 4. Differt I. à cupiditate, quia (1.) hæc brutis illa v. non competit (2.) proæresis nonnunquam cupiditati repugnat. II. ab ira, quia hæc sine ratione, illa v. arctißimo necessitudinis vinculo, cum ratione conjuncta est. III. à voluntate, (1.) quia prælectio est tantum τῶν δυνατῶν, voluntas v. & τῶν ἀδυνάτων (2.) voluntas etiam ad aliena se extendit, prælectio, v. tantum ad nostram pertinet (3.) voluntas est finis, proæresis mediorum. IV. ab opinione. (1.) quia hæc potest esse de omnibus rebus. Prælectio v. tantum de rebus agendis. (2.) opinio veritate & falsitate æstimatur, electio bonitate & pravitate. (3.) ob opinionem nemo dicitur talis, qualem habet opinionem, propter electionẽ v. talis dicitur Plura vide apud Aristotelem 3. Eth Nic. c. 4.

28. Electio sine consultatione prævia non potest esse bona & recta, unde ad actionem moralem quoq3 requiritur consultatio, quæ est diligens inquisitio mediorum, per quæ in agendo ad finem propositum possumus pervenire.

Objectum

Objectum hujus sunt, non (1) Finis, quem quidem nonnunquam in deliberationem venire contendit Hunnius disp. Eth. 5. th. 4. sed contra Arist. 3. Eth. c. 5. (2) præterita (3) necessaria in se spectata, in circumstantiis vero non raro contingentiæ quid admixtum habent, & hactenus etiam sub consultationem cadunt. Complectimur a. sub necessarijs & naturalia. (4) fortuita: sed media ad finem, futura contingentia, incerta, quæ ad nos pertinent & per nos fieri possunt. In artibus & scientiis an locum habeat consultatio disputatur à Piccol. gr. 2. c. 24. & 25. Vt v. consultatio rectè se habeat observanda sunt, quædam circa initium, quædam circa medium, quædam circa finem.

29. Circa principium duo, (1) ut assumamus συμβούλους, qui sint viri boni, prudentes, amici. (2) ut certum nobis proponamus finem. Circa mediũ seu in ipsa consultatione, (1) per quænam media ad finem sit perveniendum, an per pauca vel plura, an sint honesta, licita, possibilia, facilia, & quæ quibus sint præferenda. 2. quomodo ijs medijs utendũ. Sed de mediorum usu tria apud Arist. reperies præcepta. Circa finem consultationis considerandum est, utrum negotium de quo deliberatio suscepta, sit δυνατὸν vel ἀδύνατον. si ἀδύνατον à proposito discedendum; si δυνατὸν maturè in manus sumendum. De differẽtia consultationis & inquisitionis venustè Golius l. a. Magirus. lib. 3. Eth. Velst. disp. 4. Differt electio & consultatio tripliciter. 1. materia. 2. tempore. 3. subjecto.

3. Voluntas est boni veri vel apparentis appetitio. Genus in definitione est appetitio, quæ vox, nos hic non de potentia sed ipso actu volendi loqui, dilucidat. Reliqua verba objectum voluntatis præfaciunt, ut & normam. Objectum quod est bonum ἀληθινὸν vel φαινόμενον. Non tantùm verum bonum, quia 1. essent vera bona, quæ improbi homines volunt, aut non objectũ voluntatis eorum, quod utrumq; absurdum est. 2. Improbi, cum mala volũt & perpetrãt contra voluntatem facerẽt adeoq; excusatione & venia essent digni. 3. Nemo posset velle mala, unde nec voluntas mala nec homines mali reperirentur. Nec quoq; tantum bonum apparens, quia 1. sic nihil in se & revera esset bonum 2. voluntas nullum certum haberet objectum. Sit igitur & verum & apparens bonum voluntatis objectum; verum quidem voluntatis probæ, apparens voluntatis improbæ. Norma voluntatis est ratio recta, firma, solida & non apparens, seu norma est ipse vir bonus, vt Arist. docet 3. Eth. Nic. c. 6.

31. Tandem de libero arbitrio quædã addenda sunt, nam & libertas in actionibus

actionibus moralibus requiritur; & differunt liberè agere & sponte agere, cum illud tantum intelligentis sit naturæ, hoc v. etiam brutæ. Scaliger Exer. 22. s. 1. Sponte & cum voluntate agere esse unum & idem contendit, sed perperam.

32. Definimus liberum arbitrium, quod sit facultas hominis, qua opposita ad ejus actionem pertinentia secundum dictamen intellectus eligere valet. Est facultas non à voluntate distincta; nam libera est voluntas secundum essentiam & interno suo movetur principio, nec cogi potest, licet externæ ejus actiones quandam admittere ob externum principium violentum coactionem videantur.

33. Dicitur facultas hominis ad designandum ipsum subjectum Quod. de subjecto Quo acris agitatur inter Philosophos quæstio, alijs liberum arbitrium in intellectu, alijs in voluntate reponentibus, quâ de vide, Piccolom. gr. 2. Phil. civil. c. 41. 42. 43. 44. Nos liberum arbitrium formaliter statuimus esse in voluntate, in intellectu v. tanquam in fonte origine & radice. Illud quidem, quia per electionem, quæ voluntatis est, formaliter definitur, tum quoq; quia voluntas proximius agẽdi principium est, unde etiam illa præsertim libera denominatur. Hoc v. quia primum principium actionis & directionis est intellectus. Vide Arist. 12. Met. t. 36. lib. 3. de anim. t. 57.

34. Opposita dum dicimus nos eligere posse per liberum arbitrium non intelligimus bonum & malum; quandoquidem malum, eligere non pertinet ad essentiam liberi arbitrij, sed ad ejus defectum, & certè Deus est agens liberrimum, in quem tameu ista ratio eligendi opposita non cadit. Velle ergo vel non vellè, agere vel non agere pertinet ad liberi arbitrij rationẽ, idq; per oppositorum electionem volumus intellectum.

35. Esse a. hominem voluntatis libertate præditum etiamnum in actionibus sive bonis sive malis rationi subjectis, præter varia scripturarum oracula contra Stoicos & Platonicos probat Arist. 3. Eth. Nic. c. 7. duabus evidentissimis rationibus, quarum una à principijs istarum actionum, altera à fine legum & facto legumlatorum est desumpta. Qui volet videat præter Arist. l. a. Piccolom. c. 3. & sequent. Notandum v. hic est, quod ista libertas hodie multis modis debilitetur & impediatur ob causas quas Dn. Chemnitius p. 1. loc. com. l. 6. c. 3. affert. Vtut autem hoc sit, vanum tamen manet & falsum, neminem sponte esse malum, itemq; jucunda esse violenta. Arist. 3. Eth. c. 1. & 7.

EXERCITATIONVM ETHICARVM V.

Respondente ALBERTO CAMERARIO Goslariense.

THESIS I.



IN totâ latitudine accidentium nõ invenitur accidens sine subsantiâ, ait Chrysostimus Iavellus lib.7. Met.q. 3. p. 308. Ratio à divino Magistro lib. 7. Met. c. 1. assignata, quia accidens Entis Ens est. Vt vero accidens à subsantiâ pendet in essendo ita quoq; in cognoscendo, Keck.lib.1.Syst.Log.c.8.Substantiæ ergo aliqualis cognitio prærequiritur ad accieentis cognitionem perfectã. 2.Virtutem, quâ de ἐξεῖ λάσει disquisiuimus tertiâ, ad accidentium referimus classẽ. Vnde ejus subjectũ, quod anima est, Arist.1.Eth.Nic.c.13. quadãtenus dissertatione immediatè præcedẽti nobis cõsiderandũ fuit. Generalioribus igitur nũc expeditis ad specialiorẽ virtutis tractationẽ rectissimo progredimur ordine.

3. Ista n. procedendi ratio in omnibus omninõ disciplinis est necessaria, & vel maximè in operationibus, ut πρὸσ ὄψιν patet ex lib.2. Eth.Nic.c.7.Vbi cũq; n. λόγοι ὁι μὲν καθόλυ κενώλεροι, ὁι δε ἐπὶ μέρυσ ἀληθινώλεροι, ibi horũ imprimis ratio habẽda. Atqui λόγοι περὶ λάσ πεάξεισ taliter habent.E.

4. Prememus a. in speciali hac virtutum γνώσει vestigia Ducis nostri, hominis omnibus numeris consummatissimi. Et ut deinceps inoffenso nostrum iter conficiamus pede, hoc loco virtutum cùm subjecti, (quod cum objecto interno coincidit) tum objecti externi ratione differentias juxta seriem à Philos præmonstratam assignabimus; idq; ὡσ ἐν λύπῳ.

8. Fiet v. hoc convenienter, si prius ad propria sua retulerimus domicilia ipsos affectus; nã sic utrũ appetitui vel concupiscibili vel irascibili sit destinãda aliqua virtus mirè efflorescet. Ecquis n. dextrè Philosophantiũ virtutẽ sibi eandem cum affectibus sedem vendicare, inficiari jure potest.

6. De numero affectuũ, in quo subducendo ad stuporẽ penè dissident autores, hac vice solliciti sumus nihil, cõtendẽtes ad id, quod nobis proposuimus. Secuti igitur Schultetũ lib. de Affect. c.5.& Savanorolã Epit.Phys.l.12.conc. 7.&8. ad appetitum concupiscentem tres reducemus affectuũ combinationes

nim amorem & odium: Desiderium & fugam: Gaudium & tristitiam. Ad irascentem pariter sex (Savanarola quinq; tantùm suâ ductus ratione) referimus: Spem & timorem: audaciam & desperationem: iram & mansuetudinem. Mixtarum vel minus præcipuarum affectionum quatuor Schultetus l.a. recenset συζυγίας, quem, qui volet, videat. Ad nostrum institutum præcipuas commemorasse sufficit. Fundamentum hujus reductionis ex ratione, quâ appetitum distinximus præcedenti disputatione in concupiscentem & irascentem est desumptum.

7. His ergo acceptis suum cuiq; virtuti subjectum attribuemus. Fortitudo ergo cum moderetur fiduciæ & metui ad portionem pertinet irascentem: Temperantia cum amorem voluptatis & odium doloris excarentiâ voluptatis ebullientis regat, ad concupiscentem, quam tamen suo quoq; modo ad irascentem referimus. Liberalitas, magnificentia, magnanimitas, modestia, cum amorem χρημάτων vel τιμῶν dirigant & componant hæ virtutes ad appetitum cupiendi pertinent. Mansuetudo ad irascendi appetitum, cum iram circa occupetur. Affabilitas, verecitas & comitas cum amorem & odium voluptatis & doloris ex negotijs serijs vel jocosis, sermonibusq; gestibus & factis provenientis regant, ad vim concupiscibilem pertinent ut & justitia, quæ amorem honoris & opum temperat. Dissentit, a. à nobis Piccolomineus gr. 1. c. 22. gr. 4. c. 29. & sequent. Nam ad concupiscibilem vim Magnanimitatem & modestiam, item tres virtutes homiliticas cum justitiâ refert ob hanc rationem, quia comitem habeãt voluptatem & dolorem, quæ præsertim ad animũ pertinent. Cæterũ ratio isthæc nihil contra nos efficit; nam quẽadmodũ. cupiditas ipsius rationis μετέχει ita quoq; voluptatis & doloris ijstius, imò ad honorem laudem et gloriam propterea fertur. Donaldsonus ut lib. 2. Syn. Eth. c. 3. in affectuum definitione erravit, ita quoq; in eorum divisione non satis accuratus videtur lib. 3. c. 1. quin & malè virtutem imperfectam & imperfectam dividit. Vide Sagit. Exer. Eth. Exot. 8. th. 1.

8. Quomodo verò virtutes respectu externi objecti & actionum distinguantur in singularum virtutum διεξόδῳ planum faciemus ξὺν θεῷ. Nunc ad explicationem fortitudinis & temperantiæ properabimus.

9. Definit Arist. Fortitudinem lib. 3. Eth. Nic. c. 4. lib. 1. M. M. c. 21. lib. Eudem. 3. c. 3, quod sit μεσότης περὶ θαῤῥὴ καὶ φόβους. hoc est Fortitudo est virtus mediocritatem servans in ijs, quæ metum aut fiduciam in periculis honestatis causâ vel adeundis vel perferendis adferre possunt. Donald. lib. 3. Syn.

Syn. Eth. c. 1. Quæ definitio omnium causarum non obscuram mentionem involvit tam internarum quam externarum. Quare eam à priori esse constitutam frustâ cum Magiro lib. 3. Eth. Nic. c. 6. negaveris. Et à vero alienum esse putamus quod idem ibid. virtutes à priori non posse definiri asserit, propterea quia virtutes sint qualitates abstractæ sub sensum non cadentes. nam Quæcunq; definitiones per formalem rei rationem constituuntur omnino à priori constitutæ sunt dicendæ. At virtutum definitiones tales sunt. E. Minor probatur (1.) quia in fortitudinis definitione formalem causam esse expressam diserte docet ipse Magirus (2.) quia virtutum definitiones fiunt per formalem & transcendentalem respectum ad sua objecta suas; actiones: per transcendentalem v. respectum ad sua objecta actus & causas habitus potentias; formaliter & intrinsicè constitui, non fugit illum, qui mediocriter in acroaterijs Metaphysicorū venerandis sanctis; est versatus. Ratio v. à Magiro adducta per se nulla est, nec quicquam infert ulterius quam à priori investigari non posse naturas qualitatum abstractarum, quod sine nostræ sententiæ dispendio largiri posumus. Nec insuper bona est ratio, quam affert cur virtutes per actiones definiantur; Inquit n. fieri propterea, quia actiones sint notiores, omnis v. definitio debet ex notioribus componi; Nam notiora ista ex quibus definitio constitutui debet, oportet sint naturæ notiora & non nobis, quatenus quidem nobis notiora naturæ notioribus condestinguí valeant.

10. Objectum fortitudinis damus geminum: internum & externum: & hoc in omni virtute fieri debere hinc probamus, quia unaquæq; virtus duplicem de sinu suo promit actionem, internam & externam seu immanentem & transeuntem; utriq; ergo proprium, internæ actioni internum objectum, externæ externum respondere erit summè necessarium, cum omnis actio in certo occupetur objecto illudq; præsupponat.

11. Internum objectum sunt ὁ φόβος ἢ τὸ θαῤῥος. Arist. 3. Eth. Nic. c. 9. Externum est vel primarium vel secundarium. Primarium sunt τὰ φοβερὰ quæ timorem incutere & afferre homini possunt. At omnis timor ex notitiâ mali existit. Ergo omnia φόβερὰ mala erunt. Cæterum ut mala itâ etiam τὰ φόβερα sunt vel intrinsecè & per naturam talia, vel tantum nobis sive per accidens. Circa illa non versatur vir fortis, quia turpe est non metuere, cum vel sint ipsa culpa vel ex eâ proficiscantur. Hæc sunt vel ὑπερ ἄνθρωπον, quæ hominum vires excedunt ideoq; ab omni etiam bono

 & sanâ

& sanâ mente prædito fagienda, veluti sunt terræ motus, fulgura, aquarum inundationes. Removentur ergo ista ab objecto fortitudinis. Vel καὶ ἀνθρωπον, quæ ab homine sustineri possunt humanis q̃ viribus præcaveri.

12. τὰ φοβερὰ seu formidabilia καὶ ἀνθρωπον ratione μεγέθους iterum distinguuntur, ut quædam maxima, quædam non ita magna, quædã parva dicantur. Maxima sunt pericula belli & mors bellica. Non ita magna sunt mors alia, quam vel morbus naturalis vel aliud periculum extra bellũ ut naufragium, causatur. Parva sunt morbus, paupertas, servitus, captivitas, exsilium. Quæ distinctio ex ipsa mali desumpta est ratione; prout n. malum ita etiam φοβερὸν est secandum.

13. Circa unumquod q̃ a genus τῶν φοβερῶν esse occupatã fortitudinẽ, sequenti damus probatum λογισμῶ. Illud est proprium virtutis alicujus objectum, circa quod qui rectè se gerit, laudatur, qui malè, vituperatur. Certum; cum Arist. nunquam non hoc usurpet ad virtutum genuina objecta investiganda. At v. qui in omnibus istis tribus τῶν φοβερῶν enumeratis generibus se rectè gerit, laudatur, qui malè, culpatur. Ergo circa unum quod q̃ vir fortis versatur, debito tamen observato discrimine. Maximam n. laudem meretur, qui circa belli pericula versatur; non ita magnam qui circa mortem aliam, parvam qui circa cætera ista rectè versatur. Vnde maxime vir fortis versabitur circa mortem bellicam, quia hæc omnium φοβερῶν est maximum & pulcherrimum, id quod testantur non tantum αἱ τιμαὶ αἱ ἐν ταῖς πόλεσιν ἢ παρὰ ἰδίοις μοναρχοις, quibus nimirum affecti sunt illi, qui tali mortis genere interierunt, sed insuper hinc liquet, quia causa, propter quam oppetitur est pulcherrima & honestissima, pro grege, nim. pro defensione patriæ, religionis etc. susceptа.

14. Circa reliqua etiam versatur fortis, uti probatum, sed non παρίσως. licet n. se animo in ijs quo q̃ infracto ostendat ea q̃ ferat decenter, tamen ægrè illa fert, quia nec ipse inde gloriam reportare nec alijs utilitatem afferre possit, unde etiam fit, ut ex actionibus circa talia homo vix dicatur fortis, nisi tantum καθ' ὁμοίωσιν, nim. Si comparatio instituatur ad actiones, quæ circa pericula bellica existunt: aliàs absolutè fortis dicatur.

15. Secundarium fortitudinis objectum sunt τὰ θαρραλέα, per quæ intelligimus, non quæ requirunt animi confidentiam ut labores, molestiæ etc.

veluti

veluti cum Keck. lib. 2. Syst. Eth. c. 4. docet Velstenius Exer. Eth. 7. th. 19. sed quæ afferre & conciliare possunt τὸ θάῤῥοσ fiduciam, & à fortitudine ad audaciam transferre; qualia sunt divitiæ, munitiones, arces, arma, militum copiæ & cætera omnia similia, quæ à verâ fortitudine ad audaciam abducere valent, ut contigit Goliatho 1. Sam. 17. Satrapæ Aßyriorum Rabsaci 2. Reg. 18. XerXi navali prælio cum Themistocle decernenti Herod. lib. 9.

16. Probo: Illud per τὰ θαῤῥαλέα est intelligendum, quod sub τοῖσ φοβεροῖσ non cōprehenditur. Ratio, quia tanquam duo diversa ab Arist. proponuntur illa. Atqui molestiæ & labores cōprehendūtur sub formidabilibus. E. Minor constat, quia timorem & laborem molestiæ homini afferunt. Deinde sicut per φοβερὰ intelliguntur ea, quæ hominem attonitum, ita per θαῤῥαλέα quæ hominem elatū & animosum reddere possunt vi ἀντιθέσεωσ. Tandem objectum externum interno respondere debet & ejus esse causa efficiens. At objectum internum est τὸ θαῤῥοσ, quod excitare molestiæ non possunt, sed alia, quæ recensuimus. E.

17. Distinguuntur a. τὰ θαῤῥαλέα quemadmodum τὰ φοβερὰ, ut aliæ sint ὑπὲρ ἄνθρωπον, alia κατ' ἄνθρωπον, hæc vicisim majora vel minora. Sed de his pluribus Acciajol. lib. 3. Eth. c. 7. Magir. lib. 3. Eth. c. 7. Esse v. τὰ θαῤῥαλέα secundarium fortitudinis objectum conceptis testatur verbis Arist. 3. Eth. Nic. c. 12. manifestâ simul ratione subjectâ.

18. Officium viri fortis est (1.) esse impavidum, ut homo tamen, non ut truncus aut lapis, Arist. Eth. 3. Nic. c. 10. l. 1. M. M. c. 5. & 21. lib. 4. Eudem. c. 1. (2) non subire pericula temerè, sed consultô & talia, quæ honestatis & utilitatis condimento conspersa. 2. Eth. Nic. c. 4. lib. 1. M. M. c. 4. lib. 2. Eudem. c. 10. lib. 4. Eth. Nic. c. 1. (3.) adire pericula τοῦ καλοῦ ἕνεκα lib. 3. Eth. Nic. c. 10. lib. 1. M. M. c. 1. & 17. lib. 7. Eudem. c. 15.

19. Ex hoc officio viri fortis colligimus. (1.) actiones fortitudinis, licet absolutè spectatæ molestæ sint, finis tamen ratione esse jucundas. (2.) virum fortem maximè dolere mortem, cum virtute sua alijs amplius prodesse nequeat. (3.) Eundem fuga sibi nonnunquam consulere posse ac debere ratione suadente. (4.) Milites mercenarios non esse fortes dicendos (5.) Nec illos; qui membris stuporem Diabolicis inducunt artibus, ita ut vulnerari nequeāt. (6.) nec αὐτοφόνουσ. (7.) Nō esse fortes, qui ex ulciscēdi cupiditate privato ausu alios ad pugnam provocant & qui provocati apparent, sed audaces adeoq; malitiosos? Faciunt n. hoc temerè præter rationem, prudentiam &

 honestatem

honestatem. Imò tantum abest, ut fortes ij sint appellandi, ut potius extremè Impij & ἄθεοι, peccati mortalis & æternæ damnationis sint rei; utpote gravissimè peccantes contra id quod scriptum est. 1. Non occides 2. mea est ultio, ego, inquit Jehova, retribuam. Et miror reperiri, qui illicitam hujusmodi μονομαχίαν contra humanas & divinas leges ingressuri DEI auxilium precibus præmissis implorent. O nefandum facinus ultricibus Gehennæ æternis flammis vindicandum. Nam illi homines rogare DEVM conantur, ut propter eorum proterviam revocet quod semel juxta normam justitiæ suæ sempiternæ sapientissimè sancivit, ut approbet scelera, eademq; adjuvet, hoc est, DEVS esse desinat & Diabolus evadat. Dictu horribile. Sic argumentor: qui DEVM in corde suo statuit peccata probare & adjuvare velle, is se ipso facto damnat & Diabolo addicit At hoc faciunt prædicti homines. Ergo. Resipiscant igitur & DEVM deprecentur.

20. Extrema sunt; in excessu AVDACIA, in defectu IGNAVIA. Audacia est vitium, quod plus quam par est confidit & nihil metuit. Ignavia est vitium quod in metuendo excedit in fidendo deficit. Arist. lib. 2. Eth. Nic. c. 7. lib. 3. c. 10. lib. 1. M. M. c. 21. lib. 3. Eud. c. 1.

21, His Arist. subijcit explicationem quinq; fortitudinis φαινομένης specierum c. 11. quæ videatur ibi. Antequam ad Temperantiam accessum faciamus, quæstiones has expediemus (1.) Cur Arist. in virtutum ἐγκρίσει exordium sumpserit à fortitudine? Alij alias afferunt rationes, quæ extant apud Golium lib. 3. Eth. Nic. c. 6. Nos breviter sic: Inter virtutes necessarius non datur ordo; id quod ipse Piccol. gr. 4. Phil. civil. c. 29. agnoscit, sed rationem ejus reddere ex suâ quidem methodi doctrinâ nequit. Damus ergo nos has (1.) quia una virtus in cognitione alteram non juvat (2.) quia species sunt ejusdem generis, in quibus ordo arbitrarius Zab. lib. 1. Apol. c. 5. Arist. v. à fortitudine initium fecit, quia ea suo tempore maximo in honore fuit.

22. (2.) An Arist. numerum virtutum perfectè assignarit? Sunt qui negant. Nos cum Piccol. gr. 4. cap. 34. Resp. ob semivirtutes, virtutum affectiones, officia ac munera, innumeras videri quidem virtutes; ad enumeratas tamen ab Arist. 2. Eth. Nic. c. 7. redigi optimè posse, ne assis facientes, quod Keck. Syst. Eth. lib. 2. c. 1. ob id Piccolomineum notet; nullo n. hoc factum esse jure ipsa docebit συμφιλολογία. Imo intrepidè asserimus Arist. pietatem, sanctitatem & religionem non omisisse, sed sub justitiâ complexum fuisse, ut patet ex lib. 5. Eth. Nic.

23. An

32. (3) An virtutes omnes necessariò sint connexæ? Affirmativa octo extat probata argumentis apud Pic. c. 39. phil. civil. gr. 4. Negativam tuetur Scotus in 3. sent. d. 36. ut apud illummet videre est, cui Arist. cum alibi tùm hoc loco c. 9. lib. 3. Eth. Nic. adstipulari videtur: dicit n. aliquem posse liberalem esse, qui non sit fortis. Cæterum distinguimus: Virtutem unam posse esse sine cæteris, sed valde imperfectè; Nullam virtutem perfectè existere posse sine comitatu cæterarum. Iam de Temperantiâ.

24. Temperantia est περὶ ἡδονὰς καὶ λύπας μεσότης. Arist. 2. Eth. Nic. c. 7. 3. lib. c. 13. lib. 1. M. M. c. 26. lib. 3. Eud. cap. 2. Nascitur autem hîc quæstio, quî temperantia posit in casu recto dici μεσότης, cum hæc virtutis sit forma omnemq; virtutem in medio consistere disp. 3. assertum sit. Sagittarius Exer. Eth. Exot. 7. th. 4. medium, inquit, non est unum; alterum forma, quod virtus est; Alterum à forma, quod virtutis est: per communicationem ergo virtus medium dici potest. Casus q. Moral. 2. c. 6. in medio, inquit, est virtus ut respicit objecta, medium ut extrema. Evenius disp. Eth. Eth. 3. hanc enunciationem: virtus est mediocritas: impropriam vocat. Clar. Iac. Martini disp. Eth. 5. th. 6. In animo, ait, ἕξις μεσόληος sive ἐν μεσότητι plane idem sunt, cum utrumq; verbum formalem virtutis rationem exprimat: ut perinde est ἕξις ἐπιστημονικὴ habitus scientificus sive scientiæ & scientia. Elige quam volueris sententiam. Nos ex Golio lib. 3. Eth. Nic. c. 10. ita efferimus definitionem istam: Temperantia est virtus, quæ mediocritatem servat in expetentis & fruendis voluptatibus aut perferendis ijs doloribus, qui ex rei jucundæ privatione animo concipiuntur.

25. Objectum internum est voluptatis amor & doloris odium ex voluptatis absentia ortum. Externum est cibus, potus & res Venereæ, ex quibus voluptas exsurgit, si adsint, dolor, si absint. Vbi notandum; circa voluptates magis occupari temperantiam, quàm circa dolores Aristot. 3. Eth. Nic. c. 13. (1) quia à voluptatibus abstinere est difficillimum. Idem lib. 2.° c. 2. (2) quia temperantia circa dolores tantum per accidens versatur. Vnde liquet verum esse, quod Aristot. l. aleg. fortitudinem & temperantiam non eodem versari modo circa ἀὸ λύπας docet, ista enim per se, hæc per accidens.

26. Sunt autem objectum temperantiæ voluptates non animi, quia juxta has nemo temperans vel intemperans dicitur, sed corporis, quanquam non omnes. Nam circa voluptates, quæ ex visu, auditu, & olfactu percipiuntur

piuntur non versatur temperans, nisi per accidens, quatenus nim. horum sẽ sum jucunda affectio phantasiã excitat tactilis alicujus aut gustatilis qualitatis. Et licet horum sensuum usu per se nonnunquam homo delectetur, in ijsq; & mediocritas & nimiũ & parum sit; tamen quia ejusmodi voluptates cum brutis non habet communes, nec in ijs tam sæpè & enormiter peccat, circa eas temperantia propriè non cernitur, Clar. Nic. Willebrand. disp. polit. lib. 3. c. 10 Vt ergò voluptates corporis ex gustu & tactu perceptæ tantum proprium temperantiæ sint objectum. (1) quia ὧν καὶ τἆλλα ζῶα κοινωνεῖ, Arist. l. a. & lib. 1. M. M. c. 22. (2) quia earum usus moderatus homines commendat. (3) quia temperantia moderatur appetitum, ut intra terminos hominis, quis se contineat. Magis tn. voluptates tactus, (1) quia gustus non nisi per tactum est jucundus. (2) quia voluptates gustus in exigua corporis parte tantũ sentiuntur ideoq; inchoatæ tantum sunt. 3. Eth. Nic. c. 13. Cæterum voluptates excitant cupiditates, quæ vel naturales & communes, vel propriæ & acquisitæ. In ijs uno, in hos v. multis peccatur modis. Extrema Temperantiæ sunt, in excessu ἀκολασία, quæ sine ratione quasvis sectatur voluptates etiã illicitas: In defectu ἀναισθησία, quæ omnes etiã licitas voluptates aversatur.

27. Secundum objectum externum temperantia in species dirimitur communiter tres, nim. (1) in abstinentiam, quæ appetitũ in cibo moderatur. Movetur a. hic ζήτημα. numquid simpliciter improbãdum sit voluntarium jejuniũ? R. quod nõ, si legitimo suscipiatur fine. Vide D. Chem. part 3. exã. cõ. Trid.

28. (2) Sobrietatem, quæ circa potum moderatur appetitum. Hæc a. potus & cibi moderatio pro naturæ cuiusq; conditione est instituẽda. Quæritur an simpliciter ab omni ebrietate abstinendum? Distinguimus inter ebrietatem profundam, Sawvoll & superficiariam. Illa simpliciter est improbanda cũ ob mandatũ tàm DEI quàm Magistratus politici, tùm ob incommoda corporis & animi eam comitãtia. Hæc ein Christlich oder theologisch näuschlein si non laudari, excusari certè poterit, & concedenda, tàm sanis quàm ægrotis pro conditione tamen morborum, idq; ad mœrores depellendos & curarũ oblivionem inducendam, quò pertinet illud Salom. prov. 21. v. 6. Alij inter ebrietatem & ebriositatem, item inter poculum necessitatis hilaritatis & superfluitatis distinguunt.

29. (3) Castitatem, qua ab illicito Veneris usu abstinemus. Estq; vel cælebs vel conjugalis. Illa virginum & viduarum, hæc personarum matrimonialiũ. Vnde & in conjugio castitas est. Vide Chem. part. 2. loc. com.

Τῷ θεῷ τιμὴ.

EXERCITATIONVM ETHICARVM VI.

De liberalitate & Magnificentiâ

Respondente JOACHIMO PANSOVIO Sundensi. Pom.

THESIS I.



VÆ inter cæteras virtutes liberalitati & magnificentiæ debeatur dignitas, Thomas primâ secundæ q. 66. d. 4. & Franciscus Piccolomineus g. 7. Phil. Civil. c. 4. & perspicuè & eleganter edisserunt. Nos Philosophorum κεφαυνοφόρων vijs insistentes, postquam nuper eximias illas duas DEas fortitudinem & temperantiam vivis suis depinxerimus coloribus, liberalitatis & Magnificentiæ naturam intimam justâ ἐπεξηγήσει contemplabimur impræsentiarum acturi de liberalitate priori, posteriori v. loco de magnificentia.

2. Cæterum quia Neophotiniani cum furiosis Anabaptistis bonorum communione introducta rerum distinctionem tollunt & ἐπομένως hanc virtutem, quæ ἐκ τῶν ἰδίκειων elargiri docet, quæstio, an sit, præmittenda jure videtur. Quã tamen sicco transibimus pede, quod Theologis magis sit propria. illi n. dum probant bonorum distinctionem ab ipso DEO esse sancitam, simul hanc quæstionem expediunt. Vide Incomparabilem Theologum D. Chemnitium part. 2. loc. com. loco de paupert. c. 3. p. 401.

3. Definitur liberalitas ab Aristotele lib. 4. Eth. Nic. c. 1. quod sit μεσότης περὶ τὰ χρήματα. Lib. 1. M. M. c. 24. lib. 2. Eudem. c. 4. lib. 1. Rhet. ad Theod. c. 9. eadem definitio paulô aliter informata repetitur. Efferatur plenius sic: liberalitas est virtus servans mediocritatem in dandis & accipiendis τοῖς χρήμασι, modicis.

4. Ex hac definitione objectum & officium liberalitatis patet. Objectum internum est habendi cupiditas, studium & amor divitiarum. Est n. omninô in naturâ hominis aliquid, quod ipsum potius ad habendum quam ad dandum instigat; Cupit n. semper perfectionem sui. At in habendo potius sita esse videtur perfectio quadã, quã in dando & amittendo. Requirebatur ergo

& hic virtus, quæ illum internum defectum & judicium non satis sanum suppleret & corrigeret, suggerendo melius esse dare, quam accipere, ac proinde etiam in dando potius hominis consistere perfectionem, quam in accipiendo aut habendo. Sagit. Exer. Eth. Exot. 13.

5. Objectum externum διδασκαλίας χάριν dispescemus in proximum & remotum. Proximum nobis dicitur, quod erogat liberalis, & subdistinguitur in proprium & improprium. Illud sunt τὰ χρήματα. χρημάτων a. nomine non nummos tantum intelligimus signatos, sed omnia ὅσων ἡ ἀξία νομίσματι μετρεῖται Arist. 4. Eth. Nic. c. 1. lib. 3. Eudem c. 4. lib. 2. polit. c. 3. lib. 1. Reth. ad Theod. c. 5. Hoc sunt bona animi & corporis, quæ suo quoq; modo prodigalitate profundere vel avaritiâ abscondere possumus. Qui v. ijs proximum juvat ἀναλόγως liberalis dicitur, non quod præstent bona fortunæ bonis corporis & animi: sed quia propriè ea elargiri non possumus. Igitur ἀναλόγως prodigi dicuntur, qui (1.) Sapientiæ Thesauros pandit apud plebejos & rudiores. (2.) inter pocula serunt argutas & spinosas quæstiones (3.) in concionibus ad populum variarum linguarum proprietates excutiunt & alia, imperitiores non erudientia, crepant. Objectum remotum appellamus, cui erogat liberalis; Circa hoc n. quæ notanda, mox exponemus.

6. Esse a. χρήματα objectum proximum & proprium triplici probat ratione Philosophus lib 4. Eth. Nic. c. 1. (1.) quia propter rectam χρημάτων tractationem ἐπαινεῖται ὁ ἐλευθέριος, & non ob res bellicas, voluptuarias & judiciarias. (2.) quia extrema liberalitatis in ijs occupantur. (3.) quia facit, ut pecunijs rectè uti queamus. Id quod argumento est & liberalitatem esse virtutem, (nam benè uti ijs, quibus abuti possumus, virtutis est Savanar. lib. 6. Epit. Eth. conc. 44.) & eam versari circa opes, Quæ vis n. virtus circa proprium suum objectum rectè se habet.

7. Officium (quod actiones includit) liberalitatis, tàm χρήσεως quàm κλήσεως respectu, est attendendum. χρῆσις complectitur δόσιν καὶ δαπάνην. κλῆσις v. λῆψιν καὶ φυλακήν, ut sic universum liberalis viri officium in sumptibus modicis dandis, faciendis, accipiendis & conservandis versetur, at non ἀσώτως: nam & prodigus dat, item avarus accipit. Est igitur ἐν τούτοις χρῆσθαι καὶ εὖ καὶ κακῶς.

8. Vt ergò actiones liberalitatis à prodigalitatis & avaritiæ actionibus secernantur ποίας καὶ πῶς ἐχούσας esse oportet tàm χρήσεως quàm δόσεως ratione. In χρήσει spectanda duo. (1.) finis (2.) modus. De fine Aristoteles

toteles ita: ἐλευθέριος δώσει τοῦ καλοῦ ἕνεκα, & qui dat non honesti, sed aliâ quadam causâ, non liberalis sed alius quispiam dicetur.

9. De ponte igitur liberalitatis deijcimus (1.) qui ad ostentationem, & gloriolæ aucupandæ causâ, alijs benefaciunt omnes. (2.) qui ad favorem & gratiam emendicandam dant alijs (3.) qui beneficijs suis magistratum, honores vel alia officia comparare conantur (4.) qui dant, ut majora reportent (5.) qui dant, ut ab importunitate petentium liberentur.

10. De modo sapientiæ Magister sic: ὁ ἐλευθέριος δώσει ὀρθῶς. nempe quibus oportet, & quæ & quando, & cætera quæ rectam donationem sequuntur, idq; ἡδέως καὶ ἀλύπως. Circa modum ergo quinq; considerandæ veniunt circumstantiæ: (1.) Persona (2.) quantitas (3.) qualitas (4.) tempus (5.) locus. PERSONA intelligitur tàm dantis quàm accipientis. QVI DAT debet hoc facere jucundè & non gravatè; ex quo fluit hoc, ut collati benificij sit immemor, nec id exprobret. QVI ACCIPIT non sit ὁ τυχών. Non n. quibusvis donabit liberalis, ἵνα ἔχῃ διδόναι οἷς δεῖ. Sacra quidem scripturarum oracula in genere præcipiunt, dandum esse egenti 1. Ioh. 3. v. 17. Eph. 4. v. 28. sive ille sit amicus, sive inimicus, adeoq; improbus. Et ipse Arist. legitur apud Laert. lib. 5. improbo dedisse, & reprehensus ob id, respondisse: non hominem sed humanam sortem sum miseratus.

11. At v. cautelam hanc addendam esse putamus: si nim. citra bonorum injuriam & manifestum incommodum fieri hoc possit. Nam aliquibus propius nos esse obligatos pulcherrimè docet Chemnitius ex scriptura l. d. c. 4. p. 411. Quos hoc ordine recensere juvat, ut viris bonis primum, sanguine junctis secundum, civibus &, popularibus tertium, benè de nobis meritis quartum assignemus locum. His succedunt extranei, adeoq; omnes egentes boni vel mali quâcunq; occasione oblati, ut Luc. 10. v. 33. ostenditur.

12. Quæri a. hic potest, an mendici in benè constituta Rep. ferendi? Plato lib. 8. Polit. negat. Nos respondemus, Remp. quidem illam nonnihil â propriâ suâ perfectione deficere, in quâ sunt mendici; Eos tamen tolerandos esse. Probo: quia juvandi & sublevandi sunt nostris beneficijs. Ergo etiam sunt tolerandi. Ab eo v. quod magis ad id quod minus, legitima est illatio. Vbi tamen distinguendum puto inter pauperes validos, suâ sponte tales, & infirmos. Illi audiant Paulum 2. Thes. 3. v. 12. & Augustinum, quid melius est, inquit, cum severitate diligere, quam cum lenitate decipere. Vtilius n. esurienti panis tollitur, si de cibo securus justitiam negli-

gat, quam eidem frangitur, injustitiæ seductus acquiescat. Hi inventur.

13. CIRCA QVANTITATEM duo spectat vir liberalis Vnum ne major sit benignitas quam facultas; dat ergo tantum quantum suæ facultates possunt ferre. Cum quo optimè quadrant Sacræ literæ 2. Cor. 9. v. 13. Prov. 5. v. 16. Alias mensura eorum, quæ danda sunt, præcisè non definitur sed benevolæ piorum voluntati est relicta 1. Cor 16. v. 2. 2. Cor. 9. v. 7. Interim Qui parcè seminat parce & metet. 2. Cor. 9. v. 6. Colligimus verô hinc omnem liberalem instructum esse debere substantia hujus mundi, quæ quidem non tantum de Cræsi divitijs intelligenda, sed & de modicis opibus imò alijs quoq; rebus, quæ pecuniâ æstimari possunt, ut sunt officia. Potest ergô etiam pauper esse liberalis. οὐ γὰρ ἐν τῷ πλήθει τῶν διδομένων, ἀλλ' ἐν τῇ τοῦ διδόντος ἕξει.

14. Opes a. ex quibus homo liberalitatem exercet, aut proprijs suis laboribus acquisivit, aut ab alijs accepit per hæreditatem vel donationem etc. Qui ab alijs accepit liberalior est illo, qui proprio sudore suas sibi res comparavit; idq; ob geminam causam. (1.) quia quodã modo ignorat ad quod divitiæ prosint, & quantum mali sit in paupertate. (2.) quia non tâm amat suas opes atq; alter ille. Naturaliter n. magis amamus ea, qua nostra sunt propria, & quæ magno nobis constant labore.

25. An v. liberalis facilè poßit ditescere, disputat Arist. d. l. & negativam tuetur. (1.) quia non est λκπτικὸς nec φυλακτικὸς sed προετικὸς. (2.) quia pecunias non magnifacit propter ipsas sed ἕνεκα τῆς δόσεως, quam ita temperat ut circumstantiarum rationem nequaquam aspernetur. Deinde & hoc movet dubium Philosophus, An nim. reges & principes, quia plerumq; plurimum ijs, quos amant donare solent, ob id prodigi sint dicendi? Et quidem negatum hoc it propterea, quod eorum facultates tantæ sint, ut largiendo exhauriri nequeant. At v. ὡς τὸ πολὺ ἐπὶ hoc accipiendum benè monet Magirus super hoc loco.

16. Alteram, quod in quantitate curat liberalis, est, ut cuiq; tantum tribuamus, quantum dignitas ejus requirit, plus amico quam immico; pauperiori quam minus pauperi. Est n. liberalitas justitiæ annexa, Savanar. lib. 6. Epit. Eth. conc. 42. Licet a. liberalitas justitiæ sit annexa, eadem tamen cum illa non est, nam justitia tribuit cuiq; quod suum est, idq; ex debito, liberalitas v. quod nostrum ex gratia.

17. In QVALITATE videndum, inquit Donald. lib. 3. Syn. Eth. c. 3.

ut

ut beneficia accipienti prosint, non noceant. Nihil enim est liberale quod non idem justum, Tullius 1. Off. Huc pertinet, quod dicit divinus præceptor, liberalem in conferendis beneficijs habere delectum talem, ut deteriora retineat, meliora v. det alijs. τό γαὲ μὴ ἐπιβλέπειν ἐφ' ἑαυτὸν ἐλευθερίου. Arist. d. l. Intelligimus a. hoc lubentes de qualitate & non de quantitate, (1.) quia liberalis sibi sortem ipsam reservare debet fructum v. in aliorum promotionem conferre (2) quia si liberalis majora daret, alter minora sibi retineret, non posset diu talis esse, nec impenderet καλὰ λυσιτελοῦντα. In certa v. facultatum particulâ de quantitate idem accipi posse, nulla nos, ut negemus, cogit necessitas.

18. Circa TEMPVS spectandum erit, ut demus tempestivè sine procrastinatione Et hoc ideò ut dando magis possimus prodesse, Keck. lib. 2. Syst. Eth. c. 6. Ingratum n. beneficium quod diu niter manus hæsit, ait Seneca lib. 3. de benef. Vnde liquet illos Preminummos die Druckpfennige non esse liberales, Keck. l. d.

19. LOCVM liberalis mensurat ex lege honestatis. Beneficia ergo dat aut palam publicè, aut privatim clàm. Publicè, quæ honoris gratia confert. Sunt n. testimonia alienæ virtutis, quæ celanda non est, Velst. Exer. Eth. 9. th. 33. privatim, quæ egestatis sublevandæ causa alteri præstat, ne videlicet eidem ruborem incutiat.

20. Officium ergo liberalis respectu χρήσεως vidimus. Et patet ex dictis, quod hospitalitas & eleemosijna rectissimè sub liberalitate comprehendantur, ut non necesse sit cum Keckermanno l. d. liberalitatem in generalem & specialem dispescere. Vnius n. virtutis possunt varia esse officia, juxta quorum varietatem virtutes multiplicare velle nimis præposterum nobis videtur.

21. Deinceps de κτήσει, quæ vel λῆψις est vel φυλακὴ. De λήψει quatuor Arist. præcepta tradit. Primum est: Accipiet ὅθεν δεῖ καὶ ὅσα δεῖ. Sic ergo lucrari non inconcessum est liberali: hac tamen conditione, ne alteri sit detrimento. Nic. Hun. disp. Eth. 7. th. 8. Secundum: liberalis non sit ἀπηνὴς in postulando importunus. Verum n. judicium in liberalitate, Schultetus. lib. 1. Eth. c. 26. Tertium est: liberalis augeat honestis rationibus suam substantiam non eo fine, ut divitias congerat, thesauros cumulet, sed ne deficiant ipsum, èquibus & se suosq; honestè alere & alijs impertiri possit. Quartum: ut de proventibus suis & non alienis largiatur.

φυλακὴν præterea illud vult, ut rem nostram honestè partam dignâ tueamur curâ, æs alienum caveamus, nec temerè spondeamus. In officio liberalitatis quomodo peccetur, & contrariæ q. actiones, nim. dare & accipere, uni subjecto inesse possint, ostendit Arist. l. d. qui videatur.

22. Quæritur 2. hic (1.) utra viri liberalis actio præstantior, & in utrâ liberalis magis perspiciatur? Resp. Aristoteles in δόσει, eamq; esse præstantiorem aliquot probat argumentis, quæ ob paginæ angustiam apponere non possumus. (2.) Vtrum liberalis lusu aliquo e. g. lusu Chartarum, alearum etc. possit rectè suas amplificare opes? Resp. lusum quidem, quia ille est ἐκ τῶν μέσων, ideoq; ex principio & fine æstimandus, non esse indignum viro bono, si vel corporis exercendi, vel juventutis ad militiam præparandæ, vel mœroris excutiendi gratiâ instituatur; Et si tum contingat, ut lucretur aliquid, virum bonum posse illud lucellum, tanquam donariolum reputare & quasi sponte oblatum, modò ne detrimentum inferatur alteri vel periclitetur alterius victus, adeoq; ne proximus super eo doleat, aut tibi invideat. Alias lusus medium esse legitimum rei augendæ pernegamus. Quia magnam proximi bonorum partem per lusum ad se rapere, pugnat cum jure divino & naturali. Et frustrâ aleatores oggerunt; Volenti non fieri injuriam, licet n. opes suas ambiguæ colluſor commiserit fortunæ, non tamen animo perdendi sed augendi hoc fecit, ideoq; nolens perdidit. Et quamvis temeritate suâ damnum aliquod promeruit, tuum interea non erat alteri damnum inferre. (3.) Vtrum Ecclesiæ ministro pro verbi prædicatione, absolutione à peccatis, visitatione ægrotorum etc. liceat accipere præmia? Resp. (1.) Vt stipendia quæ magistratibus solvuntur ab Arist. Rom. 13. v. 1. vocantur debita, sic quoq; stipendia docentum in Ecclesia non vocantur Eleemosynæ sed debita. Rom. 15. v. 27. (2.) docentes habere potestatem accipiendi 1. Cor. 9. v. 4 nim. sponte contributa & oblata. Rigidè n. mercedem exigere ministerio verbi putamus indignissimum. Et sicut auditores præmium æquivalens aut mercedem propriè dictam pastoribus rependere nequeunt, ita hi pari modo accipere nec debent, nec possunt 1. Cor. 9. v. 13. Matth. 20. v. 8.

23. Extrema liberalitatis sunt: in excessu AVARITIA: in defectu PRODIGALITAS. Hæc est vitium modum in nimium dando & parum aut inhonestè accipiendo violans, Donald. lib. 3. Syn. Eth. c. 3. p. 196. Estq; duplex: Solitaria & conjuncta. Gol. lib. 4. Eth. c. 1. SOLITARIA SEV SIMPLEX, quæ

quæ in res quaslibet temerè facultates profundit, sine ullâ spe receptionis. Est hæc non diu durat. CONIVNCTA SEV MIXTA, ut vocat l. d. Donaldsonus, est, quæ ab alijs per injuriam aufert, quod alijs immoderatè tribuat. AVARITIA est vitium in nimium accipiendo retinendoq; modum excedens. Facit a. Arist. tria avarorum genera, quorum primum nihil dat, & appellantur hi avari φειδωλοὶ, γλίχροι κιμβικες. Vt v. hoc primum genus nihil dat, ita etiam nihil accipit, ob rationes ab Arist. expositas. Secundum genus in accipiendo modum excedit, & tamen aliquid dat, quod videtur cum prodigalitate compositâ coincidere. Tertium genus nihil dat, & tantùm accipit; quod Augustinus novercam justitiæ & nutricem gehennæ appellat. Quo pertinent ἀισχροκερδεῖς καὶ ἕνεκα μικρῶν κέρδων ὀνείδη ὑπομένοντες; item κυβευταὶ καὶ δλωποδύται καὶ οἱ λῃσταί. Illi a. Qui urbes depopulantur & fana diripiunt, scelesti potius, impij & injurij sunt appellandi, ex sententiâ Philosophi. Avaritia prodigalitate simplici deterior est, ut non paucis probat Arist. argumentis. Extremis COMPARATIS CVM MEDIO prodigalitas proprius accedit ad medium, quam avaritia. Sed de his fusè alij. Ad Magnificentiam devolvimur.

24. Definitur quod sit virtus in magnis sumptibus erogandis mediocritatem servans. Objectum internum Magnificentia habet idem cum liberalitate, ut & penè externum, nisi quod liberalitas in modicis; magnificentia v. occupetur in magnis sumptibus. Officium viri magnifici est edere πρέπουσα δαπανήματα, eas q; tales, in quibus excellat liberalem; nam & ille aliàs δαπανᾷ Arist. 4. Eth. Nic. c. 1.

25. Ad officium magnifici rectè expediendum requiritur scientia decori, quod in quibus est (1.) in personâ, quæ sumptus facit (2.) in sumptibus (3.) in operibus, in quæ sumptus fiunt.

26. In PERSONA observatur decorum (1.) quando ea est opulenta & genere nobilis. Pauper n. & è media plebecula homo seu ignobilis magnificus esse nequit, Acciajol. super hoc textu (2.) quando tenet scientiam Decori, leges etiam liberali viro præscriptas servat, tùm finis, tùm modi ratione.

27. IN SVMPTIBVS: quando illi sunt largi, magni & copiosi, personæ & operibus respondentes. Cæsarem n. majores decent sumptus, quam electorem: electorem majores, quam comitem, & hunc majores, quàm nobilem.

27. In operibus: quando illa sunt in genere pulchra, imò ipsis sumptibus pulchri ora, utilissima, honoratissima πολυχρόνια. Sunt a. opera vel sacra vel profana. Sacra, quæ pertinent ad religionem & cultum divinum. Profana sunt vel publica vel privata. Publica sunt, quæ in publicum usum à magnifico instituuntur. Privata, quæ ad ipsum magnificum & ad suos spectant. Sumptuum privatorum quoq; ex Arist. Magirus numerat species, quæ ibi videantur.

28. Extrema sunt: in excessu Luxus (ἀπωροχαλία ϗ βαναυσία) In defectu sordes (μικροπρέπεια) Luxus est vitium in magnis sumptibus faciendis modum excedens. Sordes est vitium in sumptibus magnis indecorè deficiens. De extremis his Arist. monet, ea quantumvis sint vitiosa, tamen non adeo esse probrosa, cum nec proximo sint damno, nec habenti magnoperè dedecori.

29. Iam concludemus excussis prius duabus quæstionibus (1.) An specie differant liberalitas & magnificentia (2.) An Papa Romanus regalia extruens tecta & magnos faciens sumptus verè sit liberalis & magnificus dicendus.

30. Acciajolus & Nic. Hunnius prioris quæstionis tuentur affirmativam. Quibus opponimus λογισμὸν talem: Quæ virtutes actionibus & objecto conveniunt, specie non differunt. At liberalitas & magnificentia objecto & actionibus conveniunt. Arist. 4. Eth. Nic. c. 1. & 2. E. Nec est, quod modum tractandi objectum alium in magnificentia obvertas, quandoquidem. (1.) leges liberalitatis etiam positæ sint magnificentiæ, ideoq; hactenus eundem habent modum. (2.) Et licet nonnihil ima plane modus tractandi in magnificentia variaret, non tamen exendæ differentia specifica posset educi; non n. modum sed actionum & objectorum diversitas virtutes specie differentes officit.

31. Posteriorem quæstionem negamus ratione hâc: Liberalis & Magnificus faciunt sumptus ex proprijs & legitimè partis bonis. At Papa facit sumptus ex alienis & injustè corrasis bonis. Id quod totus cœtus Christianus verè ille Catholicus testatur, conqueriturq;. Testantur item redemptiones palliorum, confirmationes, dispensationes, bullæ, tolerantiæ concubinarum meritricum, pellicum, clamat missarum & indulgentiarum nundinationes; Quæ omnes iniquæ comparandi opes sunt viæ. E.

τῷ θεῷ κλέος.

EXERCITATIONVM ETHICARVM VII.

De magnanimitate Modestiâ & mansuetudine.

Respondente IOHANNE BVNTHENIO *Osnab. VVestp.*

THESIS I.

ARistoteli, quem mundi miraculum omni dixeris jure, utrum animæ rationalis immortalitas fuerit cognita, ex collatione locorum lib. 3. de anim. 12. Metaph. 16. de animal. & lib. 1. de cælo. 8. Phys. dubium evadit & incertum, quemadmodum rectè monet Petrus Tartaretus in expos. textus Arist. lib. 3. de anim. dub. 3. fol. 126. Nobis a. qui non sola naturæ luce ducimur, ea πέπεισαι. Quare dies ponamus nostros in virtutũ in desinẽti studio, quo animæ immortalitas nos maneat cũ gloria & nõ cũ ignominiâ exquisitissimis junctâ cruciatibus.

2. *Et sanè tantô majori hoc efficiamus alacritate, quantô propensiores per naturam sumus ad gloriæ appetitum. Per naturam inquam: nam ab ipso omnium rerum opifice & ejus amanuense naturâ gloriæ stimulum inditum habemus, & vel hoc nomine in rebus habetur bonis. Ast ut cætera omnia in homine ab avitâ deturbata sunt bonitate, ita quoq; iste appetitus æquivocis accessionibus, ut Subtilitatum doctoris Exer. 299. s. 2. usurpemus os, est depravatus ut hominem transversum rapiat & ad gloriam trahat illicitam.*

3. *Quare & hîc opus est virtutibus, quæ apppetitum honoris intra justos contineant cancellos. Quæ vero istæ? MAGNANIMITAS & MODESTIA virtutes cognatæ & non nisi secundum magis & minus, quæ speciem non variant, differentes, juxtâ ac liberalitas & magnificentia. Ac idem plane nobiscum sentiunt Casus, qq. Moral. 4. cap. 3. Keck. lib. 2. Syst. Eth. Nic. Hun. disp. Eth. 7. c. 3. th. 14. c. 3. Velstenius Exer. Eth. q. 1. 9. Nec moramur ea, quæ in contrarium afferuntur à Sagittario Exer. Eth. Exot. 12. th. 7. Nam quod inquit, modestiam & magnanimitatem definitione differre, objecto item tàm interno quàm externo illud negatum imus; & erit res manifesta ex dicendis.*

4. Cur A. Arist. cum magnificentiâ magnanimitatem connectere voluerit, ejus rei causam reddit hanc Clar. Nic. VVillebrandus, quod utraq; circa magna versetur. lib. 4. dis. polit. quam per omnia probamus; eaq; ducti μεγαλοψυχίαν ἐξέλασιν anteponemus MODESTIÆ διεξόδῳ.

5. Definitur ab Arist. & in concreto magnanimus, & in abstracto magnanimitas. Magnanimus est ὁ μεγάλων αὑτὸν ἀξιῶν ἀξιος ὤν; lib. 4. Eth. Nic. c. 7. Magnanimitas est μεσότης περὶ τιμὴν καὶ ἀτιμίαν μεγάλην lib. 2. Eth. Nic. c. 7. lib. 1. M. M. c. 26. lib. 3. Eudem c. 4. Aristotelis hanc definitionem cum Donaldsono lib. 3. Syn. Eth. c. 5. ita efferimus: Magnimitas est virtus in magnis & debitis honoribus expetendis vel contemnendis mediocritatem servans.

6. Objectum magnanimitatis internum constituimus amorem & studium honoris magni. Savanorola lib. 7. Epit. Ethicæ conc. 8. magnanimitatem immediatè circa passionem spei esse occupatam docet. Verum ob illa, quæ superius nobis disputata sunt, ab eodem dissentimus. (1.) quia magnanimitas est in appetitu concupiscibili, spes v. in irascibili. Iam v. virtutem cum interno objecto in eadem facultate recipiente esse oportet. (2.) Spes versatur circa bonum futurum tantùm. At magnanimitas etiam versatur circa honorem præsentem & quidem potissimum. E.

7. Externum objectum cum veritatis Philosopho lib. 2. Eth. Nic. c. 7. lib. 1. M. M. c. 26. facimus τιμὴν μεγάλην. In hoc v. objecto externo probando ita procedit Aristoteles, ut prius magnanimitatem circa magna esse occupatam perspicuè ostendat triplici in medium adductâ ratione. (1.) quia ipsa Etymologia hoc indicat. (2.) quia ipsa definitio magnanimi hoc vult. (3.) quia χαυνόλης & μικροψυχία circa magna versantur.

8. Sed movetur hîc dubium, quomodo, cum omnis virtus in medio consistat, magnanimitas versari queat circa magna, imò maxima? Quod dubium Dux noster distinctione solvit ita: ἐστὶ δὴ ὁ μεγαλόψυχος τῷ μὲν μεγέθει ἄκρος, τῷδε ὡς δεῖ μέσος. Est igitur hæc virtus ἀκρόλης respectu modestiæ, quæ modicis contenta est honoribus, μεσότης v. quatenus in magnis honoribus expetendis modum servat.

9. Nec illud absre est quærere, quomodo nim. cum pietate Christianâ conveniat, quod Aristoteles ait esse illum magnanimum, qui cum magnis sit dignus, magnis se dignum judicat. Pugnare n. videtur cum illo Christi Salvatoris nostri: Si quis vult primus esse, is omnium novissimus & minister

ster. Mar. 9. v. 35. Item cum dicto Syracidis: quo quis est major etc. Verum Resp. cum pietate Christianâ id nullâ pugnare ratione, (1.) quia magnanimus judicat se dignum magnis vero judicio. Dignus n. est ob virtutem, quam magnifieri vult & magnis dignam judicat, quia divinitûs est concessa (2.) quia dum hoc cupit & sic æstimat ob virtutem, neminem per se contemnit & supercilio se despicit in conversatione. Neq; dicta illa ex sacris producta ita explicanda sunt, ut vocationis nostræ ratio & vitæ gradus negligatur. Ita n. coram DEO humiliare se potest magnanimus, ut tamen magnis se existimet dignum ratione officij publici & conversationis quotidianæ. Quia n. magistratus non pugnat cum Christianismo ideò nec magnanimitas.

10. Magnanimitatem v. in genere versari circa magna dictum est; At non hoc sufficit; quandoquidem & magnificentia circa magna versatur. Pergit ergò Arist. & discrimen in eo locat, quod magnanimitas circa honorem magnum sit occupata. Ita probat: Virtus quæ circa magna versatur, etiam circa unum versatur quod est maximum. At talis est honor. Ergo circa honorem versabitur magnanimus. Pro assumptionis confirmatione duo sunt tenenda. Vnum: honorem esse maximum bonum: idq; probatur (1.) quia illũ τοῖς θεοῖς ἀπονέμομεν. (2.) quia ὃι ἐν ἀξιώμασὶ honestissimi quiq; honorem appetunt. (3.) quia ἐπὶ τοῖς καλλίστοις ἆθλον Arist. 4. Eth. Nic. c. 7. Alterum: circa tale maximum bonum, quale est honor occupari magnanimum. Id quod ita stabilimus: Magnanimus dignum se aliquo judicat, quod ab alijs conferri ipsi possit, Ergo illud bonum externum est. At v. τῶν ἐκτὸς ἀγαθῶν μέγιστον ἡ τιμὴ, Vt ostendimus. Et circa honorem versari magnanimum ex opposito corroborat Phil. l. d.

11. Ast quæstio ex jam dictis oritur an honor plane sit bonum externum? Resp. quatenus approbatio alterius, ut honor sit conspicuus, à posteriori adhiberi debet, esse bonum externum adeoq; fortunæ munus, cum fortunæ sit in bonos ob eorum raritatem incidere: Internum v. Quatenus ex virtute fluens in ipsa agentis bonâ conscientiâ subsistit. Potest etiam responsio desumi ex honoris distinctione, quam Piccol. gr. 8. c. 32. tradit.

12. Deinde nec hoc inpræsentiarum incommodè quæritur, an honor rectè ab Arist. definiatur l. d. quod sit τῆς ἀρετῆς ἆθλον? Vives sane, Scaligero teste Exer. 317. s. 3. Aristotelẽ obid reprehendit: verum præter rem. Nã licet virtus via sit ad beatitudinem, eo tamen non negatur esse pariter via ad honorem, quin potius asseveratur. Siquidẽ honor virtutis est consequens.

13. Possent à. hic plures moveri dubitationes, ut sunt (1.) An de honore agere sit Ethici? (2.) An honor à laude & gloria rectè distinguatur? (3.) an essentialiter cum virtute conjunctus sit honor? (4.) Quomodo virtutis præmium dici possit honor, cum virtuti nihil videatur par? (5.) An honore affici possit pravus & nihili homo? (6.) An honor competat virtuti intellectuali, item an pueris? (7.) An honor sit honorantis potius quam honorati? (8.) Nunquid honore dignissimus eodem aliquando privari possit? (9.) Nunquid unius hominis ad verum testimonium honoris satis? (10.) cur capite detecto digniores honoremus? (11.) An prece & precio emendi honores? Hæc inquam, & similes quæstiones hic discuti possent, sed paginæ angustia hoc non permittit. Lectorem ergo studiosum ad Clar. remittimus sagittarium l. d. apud quem earum ἐπίλυσιν reperiet.

14. Actiones seu officium magnanimi est expetere, conservare & tueri honores magnos & debitos, idq; ὡς δεῖ. Arist. 4. Eth. Nic. c. 7. Vnde nonnunquam honores aspernari magnanimitati non est contrarium; Consonum v. illi ignominias susq; deq; ferre prout recta ratio definierit.

15. Cæterum quia magnanimitatis actiones sunt magnos honores appetere, acquirere & conservare ut decet, tria inde sponte suâ nascuntur προσλαμβανόμενα? (1.) honores appetere esse licitum, modò ad DEI Gloriam & proximi ædificationem à nobis hoc fiat. Etenim ut patet, virtutis & desiderium honoris homini à DEO implantatum non tantum est verum etiam à DEO non rarò pijs promittitur, ejusq; præcepto mandatur. Et Paulus ad Timotheum inquit, nemo tuam juventutem despiciat. etc. Et sanè quæ à fanaticis Anabaptistis in adversum opponuntur nimis sunt elũbia; illud unicum excutiemus quod ex Evangelio tanquam Gorgonis caput obvertunt. Nolite vocari magistri super terram: siquidem unus est vester magister, videlicet Christus. Resp. ergô Christum eo loci honores & gradus Academicos non damnare, sed illud magisterium, quo quis scripturas pro libitu interpretatur, nova dogmata cudit, traditiones humanitus inventas ecclesiæ obtrudere conatur. Et hunc dicti illius sensum esse genuinum, textus συνέπεια luculenter probat.

(2.) Virum magnanimum honores sic appetere, ut oblatos ab improbis & obscuris repudiet, ab mediocribus & bonis acceptet, à paribus verò & magnis eos requirat. (3.) Eundem esse optimum, tùm quia maxi-

mis

mis est dignus, tum quia nihil admittit turpe. Deniq; etiam quia habet id, quod in unaquâq; virtute est maximum & præstantißimum, ἔοικεμεν οὖν ἡ μεγαλοψυχία οἷον κόσμός τις εἶναι τῶν ἀρετῶν. οὐ γὰρ ἄνευ καλοκἀγαθίας, Arist. l. d. ut verißime imò & elegantißimè à Savanorola lib. 7. Epit. Eth. conc 9. proditum sit, magnanimitatem omnium virtutum egregium esse promptuarium.

17. Ex his autem illud exsurgit quod magnanimitas circa omnia reliquarum virtutum objecta ἐξοχῆς καὶ πεγέθους ratione versetur: ἐξοχῆς inquam ratione, quia magnanimus in omni virtutis actione debet excellere; Quod mox per omnium virtutum actiones filum nostri Præceptoris secuti latius ostendemus, unicâ hâc prius decisâ quæstione, quæ hujus est loci. Nempe anne magnanimitas, quia ὑπεροχὴν in omni virtute tenet, ut & magnificentia, sint virtutes heroicæ? Respondeo quod non, quia absq; heroico inveniri poßunt splendore, ideoq; nec omnis magnificentia, omnisq; magnanimitas est heroica. Proportione tamen & similitudine talis dicatur. Sed de hac ζητήσει fusius Piccol. gr. 6. c. 5.

18. Versatur a. magnanimitas circa reliquarum virtutum objecta ita, ut verum maneat, quod Arist. 4. Eth. Nic. c. 7. scribit: μάλιστα περὶ τιμὰς καὶ ἀτιμίας ὁ μεγαλόψυχός ἐστι. Primarium igitur magnaminitatis objectum est honor: secundarium v. cæterarum virtutum objecta, circa quæ quomodo se gerat magni vir animi, deinceps dispiciendum. 18. Primô ergô circa actiones justitiæ talem se præstat magnanimus, ut nihil fraudulenter agat nihil injustè & iniquè. Ratio, quia illi οὐδένμέγα præter virtutem & honorem. Imô omnis bonus justè agit. At verô omnis μέγάλοψυχος est optimus. E.

19. In fortitudinis actionibus ita se gerit, ut μετρίως ferat tàm prosperam quàm adversam fortunam; sive illa in divitijs sive potestatibus etc. cernatur. Si enim circa honorem rectè se habet multo magis circa hæc; cum propter illum expetenda, adeoq; minora sint. Imô si honor ipse illi parvus est ita, ut nihil indecorum ejus obtinendi causa tentet, multô magis illi cætera bona parva eodem modo erunt. Oritur autem inde hoc ut magnanimi videantur ὑπερόπται seu contemptores non tantum omnium humanorum, quæ vulgus admirari solet, sed etiam honoris ejus nim. quem non est meritus, vel qui ab obscuris & improbis defertur. Deinde

& magnanimus non est μικροκίνδυνος nec φιλοκινδυνος sed μεγαλοκίνδυνος & sic ἀφειδὴς τοῦ βίου.

20. Quæritur a. hîc ab Arist. quomodo ad magnanimitatem se habeant fortunæ istæ prosperitates, ut sunt divitiæ, generis splendor & potentia. Resp. Quamvis magnanimitas propriè in virtute consistat, enumeratorum tamen bonorum accessione Splendidiorem eam fieri ac magis nobilitari. Quod vel inde liquet; quia & isthæc bona ἐν ὑπεροχῇ adeoq; honore digna judicantur. Vbi tamen discrimen hoc observandum. Nam bona ista vel cum virtute sunt conjuncta vel non. Si prius, una cum virtute honore afficiuntur. Sin. v. posterius neq; honore digna censenda sunt ista bona, quandoquidem μόνος ἀγαθὸς τιμητὸς. Arist. l. d. nequè magnanimus putandus qui ea possidet & propterea honorem sibi deferri poscit. Magni n. est animi per virtutem ad honorem contendere scribit Clar Nic. willeb. lib. 4. disp. pol. cap. 3. Quales a. isti sint, qui sine virtute, divitijs, & potentiâ, multis docet philosophus lib. 4. Eth. Nic c. 8.

21. (3.) Circa liberalitatem magnificus ita versatur, ut (1.) promptus sit ad dandum, verecundus ad accipiendum. τὸ μὲν γὰρ ὑπερέχοτος, τὸ δὲ ὑπερεχομένου. (2.) ut sit ἀντευεργετικὸς πλειόνων. (3.) ab alijs libenter sua benefacta audiat, aliorum v. erga se non item. Illud quidem; non ut exprobret aut arrogans videri velit, sed qui commemorando delectetur ipsaq; recordatione excitetur ad similia facta plurima; hoc: ne videatur alijs subjectus ob insignem suam virtutem, cui illud ὑπερέχειν debetur. Et sic expositus hîc locus non opus est, ut cum Velstenio Exer Eth. 10. quæst. 4. ex vulgi opinione ista esse scripta statuamus. (4.) ut neminem roget aut vix quenquam, nim. propterea ut accipiat, nisi is personæ sit status, ut non inconveniens eam rogare.

22. (4) In Temperantia hoc pensi habet, ut voluptatem ita expetat, quo suâ virtute indignum nihil committat. (5.) In mansuetudine (1.) ut injurias contemnat, ideoq; nec μνησίκακος sit nec τιμωρητικὸς (6.) Circa veritatem talis est, ut probet se ἀληθευτικὸν καὶ παῤῥησιαστικὸν, non v. εἴρωνα nec κολακευτικὸν. (7.) Circa amicitiam talem se præstat, ut φανερόφιλος καὶ φανερόμισος jure dicatur. Cum n. se amoris vel odij sui justas habere sciat causas, utiq; non timet aliorum offensiones. (8.) In Affabilitate ita se gerit vir magnanimus, ut sit (1.) παῤῥησιαστικὸς. Ad ea loca, in quibus honores conferuntur, vel alij vanâ persuasione excellunt, non accedat, idq;

ideo,

ideo, ne quasi præmium virtutis suæ videatur flagitare, vel alijs indignè se cogatur submittere (2.) Ad alterius nisi amici nutũ non vivat. Ad alterius n. arbitrium se accommodare servile est; ait Magirus in Com. Eth. Arist. c. 3. (3.) Inter claros & magnos se magnum præbeat; erga medios v. & abjectos præbeat se modestum, ne eos videatur contemnere, Golius lib. 4. Eth. c. 3. p. 166. ne sit ἀνθρωποτόλογος, ne κακολόγος, ὁλοφυρλικὸς ἢ δεηλικὸς. In actionibus vitæ alijs suscipiendis, in incessũ & vocequalem se præstet, vide apud Philosophum.

23. Extrema magnanimitatis sunt: in excessu χαυνότης: in defectu μικροψυχία. SVPERBIA seu FASTVS est vitium, quo majoribus honoribus nos dignos judicamus & præter meritum affectamus. seu: est vitium in magnis honoribus modum excedens, Donald. lib. 3. Syn. Eth. c. 5. p. 211. mater ejus est præsumptio Keck. lib. 2. Syst. Eth. c. 3. & peccatur circa illud tribus modis, quos vide apud Arist. lib. 4. Eth. Nic. c. 9. PVSILLANIMITAS est vitium in magnis honoribus, ijsq; debitis deficiens. Vitio hoc laborantes quatuor peccant modis, quos itidem apud Philosophum reperies. Hactenus de magnanimitate paulò fusius.

24. MODESTIAM Arist. definit, quod sit μεσότης περὶ μικρὰς τιμὰς lib. 2. Eth. Nic. c. 9. lib. 4. c. 10. Definitionem enucleatius ita efferimus: Modestia est virtus, quæ mediocritatem observat in parvis honoribus nobis debitis eo modo expetendis, quo oportet. Dari a. hanc virtutem probat Arist. ex eo, quod extrema dentur. Datis a. & positis extremis medium seu ipsa virtus simul ponitur; quam ἀνώνυμον dicit Arist. Sagitt. a. l. d. εὐφιλοτιμίαν commodè appellari posse retur.

25. Objectum cum magnanimitate habet idem tàm internũ quàm externum: idem inquam specie; secundum magis & minus v. distinctum. Officium & Actiones viri modesti sunt (1.) modicum honorem appetere (2.) comparare (3.) contra sycophantas tueri, idq; legitimè ὡς δεῖ etc. Vnde manifestum est: licet quidem sit verum illud, altiora te ne quæsieris, tamen nec Poëtæ illud negligendum esse: Tentanda via est, quâ me quoq; possim tollere humo. Et Apostolus 1. Tim. 3. v. 1. Qui, inquit, Episcopatum appetit, præclarum opus desiderat.

25. Extrema Modestiæ sunt: in excessu Ambitio φιλοτιμία: In defectu animi dejectio, honorum contemptus seu ἀφιλοτιμία. AMBITIO est vitium, quo honores mediocres nimium adeoq; præter rectam rationem expetimus.

timus. De hoc vitio eleganter ex Bernhardo Velstenius: O ambitio, inquit, ambientium crux, quomodo omnes torques? omnibus places? nil acrius cruciat: nil molestius inquinat: nil tamen apud miseros mortales crebrius negotijs ejus. ABIECTIO animi est vitium in modicis honoribus etiam debitis appetendis deficiens.

27. Observandum a. circa horum extremorum appellationes, quod eæ non rarô in bonam accipiantur partem & sic pro ipso medio seu virtute. Et quia medium est ἀνώνυμον, fieri inde docet Arist. ut de eo extrema decertent l. d. Nec etiam illud silentio prætereundum, quod idem ille ait: ἀντικεῖσθαι ἐνταῦτα οἱ ἄκροι φαίνονται διὰ τὸ μὴ ὠνομᾶσθαι τὸν μέσον. Et sic etiam de Modestia. Restat Mansuetudo.

28. Illa definitur à Veritatis Magistro quod sit μεσότης περὶ ὀργὰς lib. 2 Eth. Nic. c. 7. lib. 4. c. 11. lib. 1. M. M. c. 24. lib. 3. Eudem. c. 3. A Piccolomineo, quod sit mediocritas rectè componens appetitum irascendi, ut in attinentibus ad iram constanter prætigat quod docet. grad. 4. phil. civil. c. 29. A Nic. Hunnio, quod sit virtus in ira & hanc insequente vindictâ exercendâ mediocritatem servans.

29. Objectum ejus internum est Ira sumpta nim. pro affectu, aliàs pro habitu capta notat hujus virtutis extremum in excessu. Externum est vel propinquum vel remotum. Propinquum sunt πάντα ἐμποιοῦντα τὴν ὀργὴν, qualia sunt contemptus nostri & nostrorum, injuriæ, damna offensiones &c. Remotum est homo adversus quem irâ accendimur.

30. Officium & actiones πρότητος seu πράου sunt (1.) irasci decenter (2.) ab ira & vindictâ abstinere. Exinde fanatici isti omnes furoris & erroris cōvincuntur, qni magistratus prohibent irâ. Cæterum ut mansuetus decenter poßit irasci quatuor circumstantiæ illi veniunt considerandæ. (1.) Causarum. (2.) personarum (3.) modi (4.) temporis quas vide alibi explicatas.

32. Extrema Mansuetudinis sunt ἀοργησία, & Iracundia. Illa est vitium in irascendo deficiens. Hæc est vit. in irâ excedens. Hujus tres Arist. species sunt (1.) ἀκροχολία, quâ citò facileq́ & levi de causa irascimur, subitoq́ placamur. (2.) πικρότης, quâ tarde irascimur sed semel conceptam iracundiam diutißimè fovemus, nec desistimus, quin vel ultionem sumpserimus vel diuturnitate concoxerimus. (3.) χαλεπότης, quâ homines sævi, asperi, crudelesq́ gravius & diutius, quā debent irascuntur, & non absq́ vindicta placātur. Species hæ quî turpitudinis ratione differant, Vide apud Arist. l. d.

τῷ θεῷ δόξα.

EXERCITATIONVM ETHICARVM IIX.

De Virtutibus homiliticis; comitate, veracitate, urbanitate.

Respondente PETRO VVILLEBRANDO *Rost. Megap.*

THESIS. I.



Irtus moralis an una sit, an verò plures diversæq3, & unde diversitas earum sumatur, disputat Thomas prim. sec. q. 60. art. 3. & 4. Piccolomineus gr. 4. Phil. Civil. c. 21. 22. 23. 24. Sed aliter HIC, aliter ILLE. Nobis quid sit sententiæ de hâc re, ex superioribus arbitramur esse liquidum. Censemus ergô (1.) virtutes morales esse plures, easq3 (2.) partim specie, partim gradibus differentes. (3.) specificam differentiam peti & desumi ab actionibus & objectis. Vbi (4.) observatio summè necessaria est, videlicet unam virtutem circa oppositas versari passiones & materiam externam oppositam adeoq3 actus edere ἐναντίωσιν, non esse absonum. Quemadmodum scientiam unam contrariorum esse, absurdum, minimè est. Quare (5.) dextrè capiendum id, quod penè omnium ore circumfertur, virtutes actionibus & objectis distingui. Nonn. quævis actio distincta & quodvis objectum distinctum virtutem parere aptum est distinctam, sed peculiaris quædam ac certa diversitas, quæ virtutum omnium inductione & collatione inclarescit.

2. Seorsim a. de differentiâ virtutum homiliticarum, ac unde ea sumenda, dubitari absolet: sed hujus dubitationis ἐπίλυσιν commodius post virtutum istarum explicationem dare poterimus; unde eam ad finem usq3 servabimus filum divini Magistri secuti.

3. Dicuntur homiliticæ παρὰ τὸ ὁμιλεῖν quod significat conversari. Nam licet quidem omnes virtutes in hoc sint totæ, ut politicæ conversationis actus dirigant, cum hominem respiciant, quatenus est ζῶον πολιτικὸν, tamen hæ tres COMITAS, VERACITAS, VRBANITAS generalia quædam conversationis præcepta præscribunt & unamquamq3 virtutem ad ὁμιλίαν accommodant, indeq3 speciatim & καθ' ἐξοχὴν appellantur. Vide Nic. Hun. disp. th. 8. th. 1.

4. De ordine harum sollicitè & anxiè disquirendum non putamus, cum DIVINVS Præceptor alio illas lib. 2. Eth. Nic. c. 7. enumeret, alio iterum pertractet lib. 4. Eth. Nic. c. 12. & seq. procul dubio ob hanc causam, quod in cognitione sint pares; h. est una alteram non juvet.

5. Exordium ducentes à Comitate eam definimus, quod sit virtus circa voluptates & dolores è congressibus serijs existentes mediocritatem servans. Piccolomineus gr. 4. Phil. Civil. c. 29. definit, quod sit mediocritas rectè componens appetitum irascendi, ut cùm in sermonibus tùm in actionibus serijs nos alijs faciles vel difficiles ita præbeamus, ut decet.

6. Cæterùm cum COMITAS sedem suam habeat in appetitu concupiscibili, uti dissertatione præcedenti quinta docuimus, ob id definitionem Piccolominei non probamus, quippe quæ in genuino subjecto assignando aberrat. Neq; id æquo laturi sumus animo, si ALIQVIS Timplerianus dicat in nostrâ definitione genus quidem verum sed tamen remotum esse positum, quando quidem falsum hoc est, & argumentum, quod fortè pro hac re adstruenda adduci posset, ἀπαιδευσία laborat insigni.

7. Keckermannus lib. 2. syst. Eth. c. 7. hanc virtutem scribit à Græcis vocari εὐπροσηγορίαν, φιλοπροσηγορίαν, χαριεντισμὸν, ἡδὺν ὁμιλητικὸν. Timplerus lib. 3. Eth. gen. c. 6. q. 1. vocat φιλίαν θρωπίαν. At Arist. eam ἀνώνυμον l. d. docet: Vbi tamen φιλίαν appellari posse concedit, non quod sit, sed quia valdè accommodata est hæc virtus ad amicitiam colendam & conciliandam. Non v. esse amicitiam duobus Philosophis probat munimentis. (1.) quia comitas est sine affectu, amicitia v. non (2.) quia comitas est non tantum erga notos & familiares, sed & erga ignotos & ἀτυπάθεις amicitia tantum inter notos conspicitur. A Latinis communiter vocatur Affabilitas, Familiaritas, Facilitas, humanitas, popularitas. Sed Clar. Nic. VVilleb. lib. 4. disp. polit. c. 9. humanitatem & popularitatem hanc virtutem commodè & rectè dici negat ob rationes, quas apud eundem, qui volet, videat. Sed ob vocem non est, ut tanto perè digladiemur. Illud modò notetur, quod virtuti, quam εὐτραπελίαν vocitamus, appellatio comitatis non raro attribuatur, ut videre est apud Acciaiol. lib. 4. Eth. c. 8.

8. Objectum comitatis internum est amor voluptatis & odium doloris ex conversatione seriâ proficiscentis. Hoc objectum Keck. & Timp. diserte

non

non exprimunt, ut nec externum, quod tamen in distincta & perspicua παιδιᾶς γμαλείᾳ fieri debere statuunt omnes rectè sentientes. Sagittarius Exer. Eth. Exot. 11. th. 4. internum objectum ponit appetitum ὁμηλητικόν seria blandè austerè tractandi. Quæ sententia cum nostra coincidit; nisi quod generalior paulò sit.

9. Externum Sagittarius l. a. statuit seria negotia in sermone tractanda, seu sermonem serium. At angustius illud esse inde conspicuum est, quod gestibus alijsq; actionibus in conversatione quoq; molesti esse queamus, unde & hac circa occupabitur. Donaldsonus lib. 3. Syn. Eth. c. 9. Oblectationem in conversatione seria comitatis objectum esse ait. Verum Sagittarius l. a. dissentit à Donald. propterea quod oblectatio illa ex sermone comi demum oriatur, ideoq; objecto posterior. Interim quia ipse Arist. lib. 2. Eth. Nic. c. 2. non solum omnem virtutem circa voluptatem versari, sed & figillatim hanc εἶναι περὶ τὸ ἡδὺ docet, ideò oblectationem comitatis objectum esse simpliciter negandum non videtur.

10. Objectum externum adæquatum cum Aristotele dicimus esse conversationem seriam, quæ nihil est aliud, quàm λόγων καὶ πράξεων κοινωνία de negotijs serijs. De Serijs inquam: Nam quod Casus 4. q. mor. c. 8. jocos & ludos huc etiam advocat, illud ratione omni carere indubitatum est.

11. Officium & actiones viri comis sunt (1.) illos, cum quibus nobis λόγων καὶ πράξεων κοινωνία intercedit, delectare, idq; vel excipiendo, audiendo, compellando, vel invisendo, salutando, deducendo vel tandem assurgendo. Quod n. Sagittarius l. a. th. 5. facilitatem, quâ alijs ad nos facilem præbemus accessum, contra Keck. refert ad Affabilitatem & hanc distinctissimam à comitate facit virtutem, id nullo solido nititur fundamento & pugnat cum Philosopho duce nostro.

12. (2.) Conversari & delectare ὥσ δεῖ ideoq; διαφερόντωσ. Hinc vir comis habet rationem circumstantiarum personæ, loci, temporis. (3.) δυσχεραναῖν, reprehendere, molestiam afferre, prout honestas & utilitas, quæ & futuri temporis ratione est æstimanda, hoc suaserint; modestè tamen & placidè. Asperitas n. immoderata correctionem non inducit.

13. Ex his quæstiones decidere sequentes, non est operosum, (1.) An vir afflictus vel occupatus possit esse comis? Resp. difficulter. 1. quia ad comitatem requiritur lætitia & hilaritas aperta. (2.) quia est q. absens, ubi corpore præsens est. (2.) An conversari cum improbis licitum? Resp. negando ex

ps. 28. v. 4. & 5. prov. 13. v. 20. 2. Cor. 6. v. 14. Vbi tamen conversationem istam non interdici putamus, quæ ex officio & aliâ quadam urgente necessitate suscipitur; Vide 3. Reg. 15. v. 1. & seq. Gen. 23. v. 16. Sed ordinariam & quotidianam. (3.) An cum hæreticis conversari sit concessum? Resp. per distinctionem inter seductos ab hæreticis & ex infirmitate ac ignorantia doctorum suorum errores sequentes: & inter seductores præfractè pertinaces persistentes. Cum illis, si boni sint, & res careat periculo ac scandalo conversari possumus. Sin mali, idem de his judicium sit, quod de improbis. Cum his conversandum negamus ex Tit. 3. v. 10. 2. Ioh. v. 10. Vbi tamen pariter casum necessitatis excipiendum putamus.

14. (4.) Sitne in benè constitutam Remp. religionum intromittenda diversitas? Negamus 1. quia illa diversitas dissociat homines & societati obest. 2. quia magistratus officium est impia & falsa dogmata prohibere, veram & sanam doctrinam serio cordis affectu tueri (5.) Licitum-ne sit convictu eorum uti, qui religione à nobis dissident. Resp. negatè; si de quotidiano victu quæstio intelligatur, 1. Cor. 5. v. 11. & seq. Aliàs hæreticum convivio excipere homine Christiano non esse indignum arbitramur, quia erga hostem quoq; misericordiam exercere tenemur prov. 25. v. 21. Rom. 12. v. 20. Vt nec ab hæretico invitatum comparere. Vide 1. Cor 10. v. 25. Luc. 7. v. 36. 14. v. 1. 15. v. 1. & seq. modò absit 1. scandalum. 2. periculum seductionis 3. prava colloquia, 4. modò bono fine suscipiatur.

15. (6.) Sitne licita conjugia cum hominibus alienæ religionis? Resp. Distinguendo inter matrimonia contrahenda & contracta. Illa negamus, quia hoc est commisceri cum infidelibus & præsentissimo æternæ salutis periculo se objicere. Hæc v. non esse dissolvenda statuimus si cohabitare consenserit persona infidelis 1. Cor. 7. v. 12. fin. v. dissenserit, mittatur & frater servituti non sit subjectus. (7.) An hæreticis ad sacra Ecclesiæ aditus permittendus? Resp. ad verbi prædicationem aditum illis permitti debere non verò ad Sacramenta. Illud, quia verbi prædicatio pertinet ad omnes; hoc, quia sacramenta sunt bona solius Ecclesiæ (8.) An officium fidejussionis pro parvulis baptizandis sit deferendum hæreticis. Resp. quod non 1. quia juxta Apostoli præceptum etiam ab omni specie mali abstinendum. 2. ne scandalizetur Ecclesia. 3. Quia infans baptizatur in fidem Christi, quam testari debet patrinus. At hæreticus testabitur non veram, sed falsam fidem.

fidem 4. quia patrinorum est infantes adultiores in doctrina vera & sincera instituere, quod non facient nec patientur hæretici. (9.) An peregrinantibus in locis Vejovi deditis, ritibus & sacris interesse liceat? Resp. inter ritus, qui sunt vel apertè impij vel indifferentes. His interesse non modò, sed & attemperare sese concessum statuimus. Illis quidem Interesse, sed non se attemperare. Vid. 2. Reg. 5. v. 17. Sleid. lib, 7. fol. 83.

16. Extrema comitatis sunt: in excessu ἀρέσκεια ἢ κολακεία. In defectu δυσκολία. Ἀρέσκεια sive placendi studium est vitium, quo præter modum & rationem honestatis in omnibus dictis & factis placere studemus ijs, cum quibus versamur. Gol. lib. 4. Eth. cap. 6. idq; ob nullam causam; quam ut placeamus. Κολακεία sive adulatio est vitium, quo in placendo alijs modum excedimus, idq; ὠφελείας ἕνεκα. Alius ergo est ἄρεσκος, alius item κόλαξ. Vnde perperam fieri patet, quod Timplerus l. d. q. 4. Adulationem blanditiei nimiæ speciem esse scribit. Blandities enim nunquam, teste Aristotele, commodum suum respicit, ut potiori jure species contradistinctæ dicerentur. Δυσκολία seu Morositas est vitium, quo præter modum & rectam rationem nemini placere cupimus & omnia aliorum dicta & facta etiam bona & recta improbamus & sugillamus. Hactenus de comitate.

17. Sequitur, VERACITAS quæ est virtus circa verum in sermone, factis & gestibus mediocritatem servans. Genus in hac definitione est Virtus idq; accuratum. Differentia specifica ab objecto est desumta: quod duplex: Internum & externum. Internum est amor veri & odium falsi. Externum est ipsum τὸ ἀληθὲς in verbis, factis, gestibus spectatum, Seu κοινωνία λόγων καὶ πράξεων quatenus hæc veritate informanda. Arist. 4. Ethic. Nico. c. 13. 1 M. M. c. 33. 3. Eud. c. 7.

18. Officium seu actiones veracis sunt (1.) in sermonibus & tota vita, ea quæ insunt, & quo gradu insunt ὁμολογεῖν (2.) præstare ea factis, quæ verbis sunt promissa. Vtrumq; v. facit Verax μηδενὸς ἕνεκα. Est n. ἀυθέκαστος, est ἀληθευτικὸς, est ἐπιεικὴς.

19 Imò ita utrumq; facit, ut mediocritatem in eo servet. Hinc (1.) non omne verum dicit, sed quod expedit Exod. 1. vers. 19. 1. Sam. 21. vers. 13. Ioh. 2. v. 4. 2. Sam. 16. vers. 17. Et quis principum & magnatum consilia propalaret? (2.) non semper nec ubiq; dicit verum,

 sed

sed tempore solum & loco conveniente. Vitia n. proximi in publico non taxat, vrio & temulento de ebrietate fugienda non concionatur. (3.) illud verum dicit, quod alterum meliorem reddit, non deteriorem. Non n. quæ de liberalitate Ethicus præcipit, illa proponit prodigo, non, quæ de parsimonia, avaro. (4.) dicit verum veritatis amore & honestatis causa.

20. Hinc etiam fit, ut citra veracitatis læsionem nonnunquam, quod promissum est, non præstet: si nim. error contigerit in promissione vel vi illa sit extorta. Oriũtur ergo hîc quæstiones (1.) Sit ne õnis simpliciter promissio servanda? Resp. tria hîc esse spectanda, PERSONAM, quæ promittit, REM, quæ, & FINEM, quo promittitur. Vt promissio servetur necesse est, ut sit facta à sciente, volente & cum judicio rationis, ut sit de re licita, ut sit facta honesto fine. Si igitur quid promissum ab ignorante, furioso &c. à coacto id stricto jure servandum non est, etiamsi promissio sit honesta. Si promissio sit inhonesta, rescindẽda ea est, aliàs geminatur peccatum. (2.) Sit ne illa fides, quæ juramẽto, etsi per vim extorto, confirmata, servãda? Resp. Si fides data est de re illicita, minimè servanda: Si de re licita, & coactio facta est ab eo, qui juste adigere potuit, necessarium est præstare, quod promissum; si v. coactio facta est ab alio, qui te malitiose cõegit, utile est & ex parte etiam honestum servare. Huc pertinet, quod ps. 14. v. 4. legitur. Qui jurat malum (id est, interpretante D. Chemnitio tom. 2. loc. com. præc. 2. p. 130. quod postea rebus suis obesse videt) & servat, hic habitabit in monte Domini. (3.) liceatne in juramento alium sensum assumere, quem deferens non intendit? Neg. quia juramenti formam deferens præscribit, ideoq; alius quam præscribentis sensus non est observandus. (4.) Sit ne hæretico fides servanda? Resp. quod sic. Quia quod licitum est spondere, id licet imô oportet facto præstare, quia omnis promissio licita est servanda. Et juramenta hostibus præstita servanda esse, habemus exempla 4. Reg. 15. v. 6. Ezech. 12. v. 13. Vide etiam Ios. 9. v. 15. 2. Sam. 21. v. 1. & seq.

21 Extrema veritatis sunt: In excessu ἀλαζονεία ARROGANTIA. In defectu εἰρωνεία, DISSIMVLATIO. His commune genus est mendacium, Quod distingui assolet in officiosum, jocosum & perniciosum sed loquendi genere ἐξωλεθρικῶ & populari. Est n. aliàs mendacium propriè dictum καθ' αὐτὸ ψεῦδος καὶ ψεκτὸν Arist. lib. 4. Eth. Nic. c. 13. Vnde nec rectè à Caso qq. Mor. q. 4. c. 8. mendacium quoddam ad usum & officium vitæ appellatur. Con-

tractè à Scalig. Exer. 2. distinguitur inter mentiri & falsum loqui, minus rectè ab alijs inter mentiri & mendacium loqui.

22. ARROGANTIA est mendacium, quo ea, quæ non habemus, nobis arrogamus, vel etiam majora, quam habemus. Est a. arrogans duplex; per se vel per aliud. Qui per aliud arrogans est, iterum est duplex. Sed de his Arist. fuse. DISSIMVLATIO est mendacium in defectu veritatis peccans, quo ea, quæ nobis adsunt, negamus fingimusq; contraria præter rectam rationem. Dissimulatores etiam non sunt unius generis, de quo pariter consulatur Arist. Sic usq; de Veracitate.

23. Ad Vrbanitatem devolvimur, quam definimus, quod sit virtus circa amorem voluptatis ex jocosa conversatione ortæ mediocritatem servans. Vocatur ab Arist. ἐυτραπελία item ἐυτραπελία, quæ vox ab Apostolo in malam partem accipitur Eph. c. 5. An virtus, quæstionis est? Aristoteles lib. 3. Eudem c. 2. negat disertè: lib. 2. v. & 4. Nic. virtutibus accenset. Conciliet hæc qui potest, Inquit Giphanius. Sed dicimus diverso respectu virtutem esse & non esse. Virtus est quatenus notat habitum in mediocritate positum. Virtus non est, quatenus notat affectum & naturalem propensionem jocandi. Quin & propterea virtutem non esse, dici potest, quod plus ad eam valeat natura, quam cura. Idem de comitate & veracitate sentiendum.

24. An comitas sit virtus necessaria? Philippus lib. 1. Eth. p. 86. negat. Nos secundum quid necessariã esse statuimus, quemadmodũ & jocos & ludos, qui licet non per & propter se: propter negotia tamen graviora & maiora alacrius peragenda necessarij sunt. Cessatio n. est propter operationem Arist. lib. 10. Eth. Nic. c. 6. lib. 8. polit. c. 3.

25. Objectum internum est amor voluptatis è ludis & jocis provenientis. Externum est conversatio jocosa seu joci λόγοις καὶ πράξεσι exprimendi.

26. Officium & actiones Vrbani sunt (1.) λέγειν (2.) ἀκούειν εὐτραπελίας, idq; ut modus servetur. Spectat ergo urbanus (1.) ut ludi & joci sint honesti & liberales, non v. turpes & futiles. (2.) ne proferendis jocis audientes offendat, sed oblectet. (3.) ne convitia & λοιδόρημα admisceat. (4.) ne similiter jocetur apud omnes (5.) ne temporis rationem negligat (6.) ut περιττολογίαν naturali quadam gratia non coactè non affectatè jocetur.

29. Iudicare nunc de duobus his ζητήμασι in proclivi est. (1.) An ludi scenici in benè constituta Rep. sint ferendi? Negant Calviniani. Affirmamus nos cum tali temperamento, si nim. isti de themate non obsceno sed honesto, à

personis

personis ab omni levitate abstinentibus, salutari sine instituantur. Probamus 1. quia jucunditatem pariunt lassis & defessis ingenijs, quæ illis nequaquam invidenda. 2. quia utiles sunt. E. & susceptibiles.

28 (2.) An choreæ Christianis sint concessæ? Contra calvam gentem affirmamus. 1. quia datur tempus saltandi Eccles. 3. v. 10. 2. quia saltatio est resper se indifferens. 3. quia delectatio juvenibus est concessa Eccles. 11. v. 9. Vide Meis. in Phil. sol. p. 1. s. 2. c. 4. q. 2.

29. Extrema sunt: in excessu βωμολοχία scurrilitas, quæ est vitium in jocando modum excedens. In defectu Αγροικία Rusticitas, quæ est vitium in ludis & jocis deficiēs, quo nec ipsi proferre nec aliorū jocos perferre valentes.

30. Iam clarum esse & planum putamus has tres virtutes specie differre. Licet n. objecto interno magnam partem conveniant, tamen externo, externis etiam actionibus differunt. Et licet externum objectum etiam videantur habere idem; hoc tamen tantum verum est quoad materiale, non v. formale; penes quod diversitas hoc loco attendenda.

31. Sub finem libri quarti Eth. Nic. Philosophus movet quæstionem de Verecundia sitne ea virtus? Quod non sit ita dat probatum (1.) quia pudor est metus, ideoq; affectus. 2. quia pudoris sunt corporeæ affectiones 3. quia pudor non competit senibus & adultis, imò nec viris bonis, cum ob admissam turpitudinem existat. Et sanè Vanus est Timplerus qui lib. 3. Eth. gen. c. 8. q. 1. & seq. Verecundiam virtutem esse tueri conatur, nam rationes, quas affert per se futiles sunt, & distinctio, qua utitur pro suâ & Arist. opinione concilianda, est nulla. Pudor n. moralis, seu qui sit virtus, in liripipio cerebri Timpleriani effictus. Colophonis loco notetur, (1.) quosdam pro synonymis habere pudorem & verecundiam, ut & hæc & ille sit de turpi jam facto. (2.) Quosdā v. distinguere ita ut pudor sit timor in convitij expectatione adeoq; de turpiscendo: verecundia v. de turpi admisso (3.) Quosdam etiam hoc discrimen inter erubescentiam & verecundiam ponere. (4.) Verecundiam esse laudabilem non propter se sed propter spem virtutis.

τῷ θεῷ δόξα.

EXERCITATIONVM ETHICARVM IX.

De justitiâ & jure.

Respondente HERMANNO NOSTIO *Friesöita-VVestph.*

THESIS, I.



IN virtutum moralium ἐξηγήσει una nobis superest vocata JVSTISIA; cui à κεραυνοφόρῳ Aristotele ultimus inter cæteras aßignatur locus, non quidem ob indignitatem aliquam; quandoquidem Domina earum est omnium Cic. lib. 3. off. societatem inter homines continens, Arist. lib. 3. Polit. c. 8. ἀγαθὸν γὰρ πολύκοινον καὶ πρὸς ἕτερον. Libro 5. Eth. Nic. cap. 3. sed ob singularitatem, quæ in eâ præ cæteris virtutibus moralibus non uno conspicua est modo.

2. Definit Philosophus justitiam, quod sit ἕξις ἀφ' ἧς πρακτικοὶ τῶν δικαίων εἰσὶ, καὶ ἀφ' ἧς δικαιοπραγοῦσι καὶ βούλονται τὰ δίκαια. h.e. Est habitus, quo homines apti redduntur ad agendum ea, quæ justa sunt eademq; etiam agunt & volunt.

3. Definitum est justitia: cujus ut notatio ita quoq; æquivocatio, quamvis omninô negligenda non est, hic tamen ob pagellæ angustiam apponi nequit. Qui volet, videat de utraq; Clar. Donald. lib. 3. Epit. Eth. c. 7. p. 218. Kek. lib. 1. Syst. Eth. c. 4. Velsten. disp. 12. Exercit. Eth. th. 5.

4. Accingamur igitur ad definitionis resolutionem: in quâ primum locum tenet Genus, nim. habitus. De quo quæstio est, sitne remotum an verô proximum. Remotum esse statuũt Accijajolus lib. 5. Eth. c. 1. Magirus lib. 5. Eth. c. 1. Velstenius loco præallegato th. 7. Nec dissentiunt Keck. l. d. Sagittarius Exer. Eth. 14. th. 4. Timplerus lib 3. Eth. gen. c. 10. quippe qui genus justitiæ faciunt virtutem.

5 Equidem tot exercitatis Ethicis se opponere valdè operosum esse agnoscimus. Ast quid tum? Veritatis inquirendæ causâ statuemus, habitum esse proximũ justitiæ, quæ definita est, genus. Ratio: Si cum virtute in genere, est justitia αὐτὴ & τῷ λόγῳ tantum ab eâ differt, utiq; idem cum virtute adsciscet genus. At prius est. Ergo & posterius. Assumptio probatur, quia virtus, quæ talis dicitur, quòd habentem perficiat h. e. ad publicam utilitatem.

non referatur appellationem justitiæ induit, quatenus suas actiones refert πρὸς ἕτερον h. est ad publicam utilitatem. Arist. lib. 5. Eth. Nic. c. 3. Vnde Cicero: Iustitia foras spectat & totam se ad alienas utilitates porrigit atq; explicat.

6. Nec est, quod nobis locum Aristotelis jammodò citatum objicias, in quo docet justitiam & virtutem esse quidem αὐτὴν, τὸ δε εἶναι ἕτὸ αὐτὸ; nam ibi tantum sermonem iustitui de εἶναι respectivo, quod virtutis ἐπόμενον dicimus; subsequentia docent verba, quæ ita habent: ἡ μεν πρὸς ἕτερον δικαιοσύνη ἡδε τοιάδε ἕξις ἁπλῶς αρετή. Vt ergo omni errore plenum videatur, quod Timplerus l. d. q. 4. Aristoetlis sententiam contradictionem implicare nimis audacter scriptitat, Vna sanè res est virtus & justitia, quæ una & eadem res ob diversam considerationem diversa suscipit nomina. Vide Golium lib. 5. Eth. c. 1.

7. Genus excipit differentia specifica, quæ assignatur ratione (1.) δυνάμεως; per justitiam n. idonei sumus ad actiones justas. (2.) πεάξεως: solan. facultas non constituit justos sed oportet etiam actionem accedere. Gol. lib. 5. Eth. c. 1. (3.) βελήσεως ἢ πεοαιρέσεως; non n. tantùm necesse est deliberato animo agere justa, quando datur occasio, sed & voluntatem agendi habere etiam tum, cum omnis occasio abest.

8. In differentiæ assignatione putat Magirus l. d. esse inversionem ordinis, quòd voluntas ponitur post actionem, quæ tamẽ naturaliter debeat præcedere. Nec nos illud inficias imus, si Magiriano modo τοῦ βελήσεως explicetur Sinu. ita accipiatur, ut explicat Clar. Nic. VVillebrandus disp. polit. lib. 1. c. 1. nulla ejusmodi ἀναγεοφὴ non expirat.

9. Tempestivè a. hic quæri potest: sitne justitia in voluntate tanquam in subjecto suo οἰκείῳ? Affirmatè respondent Thomas in prim. 2. q. 56. art. 4. Savanvrola lib. 6. Epit. Eth. com. 7. Cum his faciunt Keckermannus & Sagittarius. Ille quidem si non in voluntate, certè tamen in intellectu justitiam collocare videtur obrationem hanc, quia illam virtutem dirigentem facit unà cum Savanarola l. d. Hic v. quia non tantum sententiam eorum, qui vocem voluntatis in definitione justitiæ Iustinianeâ per metonymiam subjecti explicant, admittit: sed & aliàs voluntatem virtutis moralis subjectum esse inculcat. Sed cum nulla virtus moralis sit dirigens, ideó nec justitia, quæ sane ab Aristotele inter morales recensetur. Et omnem virtutem moralem in appetitu sensitivo hærere disp. 3. docuimus & prolixè de hâc re differit Piccol. gr. 4. Phil. civil. à c. 7. usq; ad c. 16.

10. Evicto

10 Evicto igitur, justitiæ subjectum esse appetitum sensuum; ulterius quæritur: an irascibilis an v. concupiscibilis ejus sit subjectum? Piccol. gr. 4. Phil. civil. c. 30. appetitum statuit irascibilem; unde justitiam definit, quod sit moderatio appetitus irascendi, ut in omni cõmutatione & distributione externorum bonorũ æquum & id quod decet, expetamus ac constãter præeligamus. Rationem suæ opinionis illam producit: quod jus & injuria voluptatem, & dolorem animo afferant non corpori. Cæterum soluta ea à nobis est disp. 4. Ideoq; actum hic non agemus illam inde repetundo. Quin nec genus in definitione Piccolomineana exquisitum nec reliquæ definitionis partes rectè sunt assignatæ; id quod apparet manifestum evadit ex collatione definitionis Aristotelica & ejus, quæ à viro illo Clarissimo est tradita.

11. Resolutâ nunc & excussâ definitione justitiæ generali; addistinctionem ejus descendendum est. Philosophus ita distinguit justitiam, ut alteram dicat esse ὅλην, alteram καλὰ μέρος: ILLAM, quæ alias universalis indigitari assolet, definit quod sit ἀρετὴ τελεία ἀλλ' οὐχ ἁπλῶς, ἀλλὰ πρὸς ἕτερον. Nos conjungentes, quæ sparsim de hâc justitiâ à divino Præceptore proponuntur, in fasciculum ita definimus. Iustitia universalis est, quâ omnibus legibus ad publicam societatis conversationem obedientia præstatur.

12. HANC, quæ particularis nuncupari consuevit, definimus ex Donald. quot sit, quæ in distributione ac communicatione rerum mediocritatem servat. Quæ definitio ob veritatem & perspicuitatem summam nostrum meritò sibi poscit calculum.

13. Tria a. hic in quæstionem veniunt. (1.) Quo divisionis modo justitia in universalem & particularem dispescatur? Resp. esse divisionem generis analogici in sua analogata. Probo, quia πρώτως & ἀμέσως justitia th. 2. definita competit justitiæ universali: δευτέρως a. particulari, hæc enim ob illam talis dicitur, quia ob illam dicitur ἀγαθὸν πρὸς ἕτερον, unde etiam præstantior est.

16. Nec obstat nobis quod Arist. inter πολυαχῶς λεγόμενα referat δικαιοσύνην; nam analoga collata ad univoca Aristoteli non rarò dicuntur æquivoca, ut ei notum est ad unguem, qui non planè est hospes in lectione scriptorum Aristotelicorum: ut nec illud, quod Timplerus urget, nim. specierum oppositarum unam non includi essentialiter in alterâ. Nam Topicum hoc est axioma & patitur instantias. Interim formaliter unam speciem alteram non constituere prolixè concedimus. Illis v. qui dicunt

esse distinctionem æquivoci in sua æquivocata, opponimus hunc discursum: Iustitia universalis & particularis non tantum nomen sed & definitionem justitiæ lib. 5. Eth. Nic. c. 1. traditam participant. E. non est distinctio nominis.

15. (2.) An justitia universalis sit genus respectu particularis? Affirmat Timplerus l. d. q. 3. Nec refragatur Clar. VVillebrandus. Ratio Timpleri est, quia justitia universalis, à virtute morali generatim re ipsa non differt: sed hoc nos negamus, quia contradistinctas esse species jam probavimus. Ad rationem Timpleri dicimus eam esse falsam & hoc probamus (1.) quia justitia universalis virtus perfecta est & integra, continens in se omnes virtutes morales, non sanè ut genus species suas; sed actu, nam virtutes reliquæ de essentia sunt justitiæ, species v. non sunt de essentia generis, ut docent Logici. (2.) quia justitia efficit virum perfectè bonum atq; adeò optimum, quia omnibus virtutibus est præditus. Golius ex Arist. l. d. Iam assumo: At virtus moralis generatim sumpta non est perfecta virtus, actu cæteras omnes continens, nec efficit virum perfectè bonum. Ergo illa non est idem quod justitia universalis. Et Aristoteles ὅλην ἀρετὴν cum justitia universali rem unam esse docet. Quam Philosophi assertionem, quâ ratione nos antè transtulerimus ad aliud probandum th. 5. monstratu non est difficile.

15. (3) Quomodo differat justitia universalis à particulari Resp. (1.) differre ut speciem à specie. (2.) Objecto, actionibus & fine. Objecto differunt. Nam Iustitia universalis versatur circa omnium virtutum objecta. Qui dicunt versari eam circa ipsum jus, illi non loquuntur ἀκριβῶς; ipsi n. hi etiam statuunt & docent jus esse effectum justitiæ, adeoq; justitiâ posterius. Objectum v. prius est eo, cujus est objectum. Particularis a. justitia versatur circa bona vel mala externa quæ in fortunæ temeritate posita sunt & in quibus possumus modum excedere.

16. Bona ista externa dupliciter considerari possunt. (1.) ἁπλῶς, quatenus à DEO condita & in mortalium usum concessa sunt, & sic semper adeoq; naturâ suâ bona sunt. (2.) Respectu hominum, quatenus videlicet illi eis malè vel benè utuntur & sic non omnibus bona sunt, sed quodammodo ἀδιάφορα.

19. Deinde actionibus differunt ut & fine; nam omnium reliquarum virtutum actiones & fines justititiæ universali competunt. Particularis v. actiones sunt distribuere vel commutare; Proprius est servare æqualitatem

&

& mediocritatem in distribuendo & commutando. Tandem & sine nostræ sententiæ periculo & jactura dicere possumus, justitiam universalem à particulari differre ut totum à parte.

17. Objectum justitiæ universalis internum supervacaneum est hic definire, cum illud ex singularum virtutum inspectione ultrò pateſcat adeoq; nec simplex sit, sicut nec ipsa hæc justitia simplex habitus est sed compositus & ex aggregatione reliquarum conflatus, nec hoc tantum, sed & quæ in utraq; appetitus facultate suam sedem habeat. Vnde tamen nemo facilè Chymæram exædificabit. Quod Savanarola lib. 4. Epit. Eth. conc. 15. Iustitiam dicit non esse circa paßionem, id falsum esse ex dictis patet.

18. Officium & actiones, quas finis modificat, constant. Extrema sunt eadem, quæ & cæterarum virtutum: nisi quod appellatione Injustitiæ universalis seu παρανομίας novâ hoc loco insigniantur: Quæritur a. de injustitia universali, an uni alicui subjecto simul inesse posßit? Videtur quod sic, quia justitia universalis sic inesse potest. Sed negativa vera est ex hac ratione, quod vitia moralia sæpenumero mutuâ internecione se periment. Argumentum v. à contrarijs valet, quando contrariorum eadem est ratio.

19. Transibimus nunc ad particularem, quæ duplex: διανεμητική distributiva & συναλλακτική commutativa seu διορθωτική correctiva. DISTRIBVTIVA est, quæ in distributione bonorum & malorum externorum rationem habet & dignitatis porsonarum & æqualitatis rerum, ut singulis pro earum merito suum tribuatur.

20. Circa hanc definitionem quatuor seorsim contemplabimur. (1.) Objectum. quod est internum vel externum. Internum est amor æqualitatis & odium inæqualitatis circa bona fortunæ. Externum distinguimus in propinquum & remotum. Propinquum sunt bona & mala externa, qualia sunt honores, dignitates, præmia, pecuniæ, officia, labores, penæ castigationes supplicia & his similia. Remotum sunt homines, inter quos bona & mala illa distribuenda.

21. (2.) Officium & actiones, quæ sunt bona illa jam dicta pro merito cuiq; distribuere, idq; ut proportio Geometrica observetur. Vnde planum evadit, hanc, justitiam illis personis competere, quæ publicum aliquod munus gerunt, quales sunt magistratus, patresfamilias, præceptores.

22. (3.) Proportionem seu mediocritatem, quæ duplex est: alia Geometrica; alia Arithmetica. Illa est, quando rerum æqualitas non spectatur

absolutè sed respectu circumstantiarum seu personarum. Hæc, quando nuda rerum æqualitas attenditur sine personarum habito respectu.

23. Prior illa proportio locum habet in justitia distributiva. Posterior in commutativa sic, ut utrobiq; tamen illa quoq; sit mediocritas, quæ formam virtutis moralis constituit. Est n. utraq; hæc justitia virtus moralis ideoq; formam virtutis moralis utraq; etiam habebit: Quæ quomodo constare possint in ipsa monstrabimus συζητήσεως actu.

27. Ad justitiam distributivam reducimus Ius tationis non quidem simplex & Pythagoricum, quo quis id, quod aliteri fecit, simpliciter eodem modo patitur; quia impossibile est semper: ideoq; meritò repudiatur: sed analogicum & proportionale, quod reducitur ad certam æqualitatem ratione personarum & rerum. Hoc n. jus talionis valde necessarium est in vita humana, sicut ipsa bonorum & malorum proportionalis retributio. Subdividunt a. alij hanc justitiam in Remunerativam & punitivam. Sed qui hac ratione erit finis virtutum? Extrema justitiæ distributivæ sunt, Injustitia in excessu plus in præmijs aut pænis, quam debetur tribuens. In defectu, minus in præmijs aut pænis, quam debetur tribuens.

28. Iustitia commutativa est, quæ in contractibus & rerum commutatione nullo habito personarum respectu eam servat æqualitatem, ut suum quisq; consequatur & nulla pars defraudetur. Seu est μέσον τῆς ζημίας καὶ κέρδους. Objectum ejus internum est amor & cupiditas eorum, quæ in contractus veniunt. Externum illa ipsa quæ per contractus commutari solent.

39. Officium & actiones justitiæ hujus sunt secundum proportionem Arithmeticam ita in contractibus versari, ne ulla pars contrahentium circumveniatur & damnum patiatur. Quod ut tantò rectius possit observari duo hic tenenda. (1.) modus (2.) media. Modus consistit in rerum inter se collatione, ut quantum una alteram vel dignitate vel pretio superat, aut ab altera superatur, tantum in defectu vel excessu compensetur. Media sunt, quibus rerum pretia æstimantur seu mensurantur.

40. Sunt q; hæc talia vel τῇ φύσει vel κατὰ συνθήκην. A natura pendet indigentia & usus rerum in diversis populis. Pluris ergo æstimanda ea quorum major est usus. Ex hominum instituto est nummus. De cujus inventione hoc loco nihil addimus. Silentio etiam præterimus quatuor insignes nummi usus, quos Aristoteles l. d. cap. 8. enumerat, & qui in contractibus conspiciuntur.

Contractus

31. Contractus à. Arist. distinguit in spontaneos & Invitos. Spontaneos vocat illos, qui fiunt inter volentes & scientes seu quorum principium est in utrâq; parte contrahentium, ut sunt (1.) Emptio & venditio (2.) Mutuum (3.) Sponsio sive fidejussio (4.) commodatum (5.) Depositum (6.) locatio & conductio. Invitos vocat quorum principium non est in utrâq; parte contrahentium. Et hos iterum subdistinguit in clandestinos & violentos. Illi fiunt nobis planè ignorantibus ut furtum ad ulterium, Lenocinium &c. Hi fiunt quidem nobis scientibus sed præter nostram voluntatem. Vt sunt flagellatio, vinculum, raptus &c.

32. Extrema justitiæ sunt: in excessu Injustitia, quâ iniquum precium rebus imponitur. In defectu injustitia, quâ minus pro rebus solvitur. Et potest hæc injustitia exerceri vel mercium corruptione, vel mensurarum & ponderum dolosorum adhibitione. Et tantum de justitia. De jure ut paucis etiam agamus, supereſt.

33. Non autem una juris videtur dari posse acceptio. Ius enim notat vel normam ejus, quod justum dicitur seu legem naturæ: Vel inde manantia principia & ex his conclusiones. quæ considerari iterum possunt, prout sunt habitus mentis vel quatenus scriptis sunt compræhensæ. Vel tantum jus notat illud ipsum rectum, quod est in actione justa & sic rectè effectum justitiæ dicitur.

34. Dividitur ab Aristotele quod aliud sit ἁπλῶς tale seu πολιτικὸν civile, aliud κατ' ὁμοιότητα jus secundum similitudinem dictum sive Oeconomicum. Illud est, quod in societate inter homines liberos & æquales ad suffieientem rerum necessariarum copiam, colitur. Iurisperiti jus civile aliter definiunt ut videre est lib. 1. Instit. tit. 2. §. 1. Huic definitioni tres hypotheses ab Aristotele subijciuntur. (1.) In judicijs statuendum esse non secundum hominem, qui affectibus rapitur, sed secundum leges. (2.) Magistratum non privatum sed publicum bonum spectare debere. (3.) Magistratui pro suo labore propriã deberi mercedẽ, nempe honorẽ. Vide Exod. 20. Rom. 13.

35. Ius civile est naturale vel legitimum. Illud est quod ubiq; gentium eandem habet vim & potestatem non ex hominum opinione sed ipsâ natura. Quæritur de eo an sit mutabile? Resp. per se & quoad genus universum simpliciter esse immutabile; ratione à. singularium circumstantiarum aliquid mutationis admittere videri.

36. Ius legitimum est, quod à principio quidem nihil interest an ita fiat

ali

an v. aliter; quando v. fuerit institutum, tunc interest. Vocatur etiam aliàs jus ἀνθρώπινον. Item jus positivum. Differt à jure naturali 1. causa efficiente. 2. finali 3. effectu.

37. Adjunctum juris legitimi est æquitas, quæ est temperamentum juris consistens in benigna ejus interpretatione sive emendatione sive correctione. Dicitur verò lex deficere, non quod in lege rectè constituta sit defectus, sed quia generaliter tantum sancit, nec in specie propter negotiorum & circumstantiarum varietatem omnia constituit. Æquitas ergô hic subvenit & in individuo applicat, quod generaliter est lege sancitum. Vnde Æquitatem mallem appellare vel restrictionem vel ampliationem juris.

38. Opponitur Æquitati in excessu ἀκριβοδίκαιον, quando leges severè sine mitigatione retinentur tùm, cum probabilis ratio erat mitigationis ob aliquam circumstantiam. In defectu συκοφαντία Callida juris & malitiosa interpretatio.

49. Ius legitimum est vel scriptum vel non scriptum. Illud tabulis est comprehensum; & sunt ejus sex species. Hoc est, quod diuturnus usus comprobavit. Ius scriptum à ICtis dividitur in publicum & privatum. Et tantum de jure civili. De domestico duobus verbis.

41. Est ergô jus œconomicum, quod inter unius ejusdemq; domus membra ad domesticam sustentationem & generis propagationem colitur. Estq; triplex, Paternum, Herile & Matrimoniale.

42. Iuri opponitur injuria, quæ est juris violatio, cum à sciente & volente invito alicui præter meritum damnum infertur. Estq; duplex Voluntaria & involuntaria. Illa vel ex ignorantia vel ex vehementiore aliquo affectu vel ex malitia oritur. Ex ignorantia, quam qui læsit circumstantias aliquas ignorat. Estq; ἀτύχημα vel ἀμάρτημα.

43. Ex animi affectu quando qui læsit, hoc fecit ex ira metu terrore &c. Ex malitia, quando quis alterum de industria & consultô lædit; quæ proprie iujuria dicitur. Involuntatria injuria est venialis vel non venialis. Illa, quam homines per ignorantiam inferunt. Hæc, quam non per ignorantiam vel affectum sed ignoranter committunt.

Vide Arist. lib. 5. Nic. c. 8.

τῷ θεῷ κλέος.

EXERCITATIONVM ETHICARVM X.

De virtutibus intellectualibus.

Respondente JOANNE RUCKUTIO *Neobrandenburgensi Megap.*

THESIS. I.

VIrtutem Summus Aristoteles lib. 1. Eth. Nic. c. 13. ratione ὑποκειμένης in ἠθικὴν & διανοητικὴν disterminat. De morali agit priori loco lib. 2. 3. 4. & 5. De intellectuali posteriori agit, libro nim. sexto. Cujus divini Magistri vestigia nos prementes, postquam amœnissimum virtutum moralium campum pellustravimus, intellectualium hortum æquè amœnum & jucundum nunc CVM DEO ingrediemur.

2. Vbi in primo statim limine dubitationum motus jactare nos occipiunt. Prima dubitatio est: An ἐργασία virtutum intellectualium Ethicæ sit intrinseca & essentialis? Affirmativam tuetur Evenius Disp. Eth. 17. theor. 4. ex Piccolomineo grad. 5. Phil. civil. c. 4. (1.) quia recta ratio cum suis habitibus debet esse nota, quæ ὅρος τῶν μεσοτήτων est; nam eâ ignotâ nec hæ ex rationis præscripto assignatæ notæ esse poterunt. (2.) quia civilis Philosophi officium est humanas actiones componere, hominemq; ad summum bonum dirigere: Et quia ad summum bonum conspirant omnes habitus mentis propterea omnes tenetur cognoscere, ut simul utriusq; summi boni gradus, quorum unus in actione, alter in contemplatione est positus, inter se possit comparare. Piccol. gr. 5. c. 4. gr. 9. c. 28. Ab his non est alienus Sagittarius Exer. Eth. Exot. 6. th. 2.

3. Negativa nobis in delitijs est. Quam probamus primò de virtutibus Theoreticis ita: Quo respectu beatitudo contemplativa in Ethicis consideratur illo & pari etiam virtutes intellectuales Theoreticæ. At ista tantum accidentaliter. E. etiam hæ. Majoris ratio in eo est, quia media & finis eundem tractationis respectum subeunt: quod vix negabit, qui sanæ est mentis. Minorem stabilimus (1.) quia Theoreticum & practicum sunt differentiæ essentialiter oppositæ Philosophiam totam dividentes. Vnde quod Theoreticum est

practicæ Philosophiæ non potest esse essentiale. (2.) quia non ἀκριβῶς in Ethicis tractatur: Arist. lib. 10. Eth. Nic. cap. 8. At rei tractatio essentialis & domestica debet esse ἀκριβὴς ἐφ' ὅσον ἐπιδέχεται ὑποκειμένη ὕλη 1. Eth. Nic. cap. 1. Deinde de prudentiâ sic: Ethica est prudentia ipsa. E. Ethica non docet, tanquam domesticum, quid sit prudentia. Sicuti logica non docet, quid sit habitus instrumentalis: Physica, quid scientia &c. Nec ex eo quod prudentia individuo conjuncta est nexu cum virtute morali rectè colligitur eam esse Ethicæ considerationis per se, ut putat Keck. lib. 1. Syst. Eth. cap. 3. quia ducit ad finem Ethicæ, seu est medium beatitudinis civilis. Nam & aliquo modo intellectuales omnes medium tale dici possunt. lib. 1. Eth. Nic. c. ult.

4. Ad Evenij argumenta Resp. Ad 1. In eo esse ζήτημα παρὰ τὸ ἐπόμενον. Si n. id statim essentialiter pertineret ad aliquam disciplinam: sine quo ea exactè cognosci nequit, quî disciplinarum distinctio servari posit, non video. Imò Philosophia Theoretica cum practicâ tantum non confunderetur mixturâ sanè sat fœdâ. Ad 2. Philosophiam civilẽ dirigere ad beatitudinem practicam & non Theoreticam, nisi ex eventu; Item operationes practicas componere, non v. Theoricas. Concludimus ergo ut beatitudo Theoretica ita quoq; habitus Theoreticos tantum per accidens in philosophiâ civili considerari. Idem judicium esse de prudentia ob rationem mox datam arbitramur. De arte à minori ad majus valet eadem conclusio.

5. Altera dubitatio est: An virtutes morales rectè intellectualibus præmittantur ratione ordinis accuratioris? Primũ locum deberi intectualibus; statuit Velstenius Exer. Eth. 13. q. 2. Et malè moralem intellectuali præmitti sentit Sagittarius in Templ. virt. Exer. Eth. lib. 2. Exer. 6. ἀπορημ. 7. Vterq; ratione pugnat hac: quia dirigens prior semper est directo; mensura prior naturâ quam res, cujus est mensura. Sed cum hæc Philosophum ἀμεθοδίας non obscurè arguãt, tres assertiones, ut vindicemus ejus autoritatẽ proferimus. Dicimus (1.) De sede virtutum intellectualium Theoreticarum, cum eæ Ethicæ non sint πανώδεσι, non magnoperè laborandum esse. Dicimus (2.) virtutes intellectuales & morales esse species unius generis perfectas, ideoq; non multum referre, utræ earũ præmittantur vel postponantur. Dicimus (3.) non semper quod natura prius, id etiam in tractatione esse prius, nisi idem quoq; cognitione prius. Quia v. prudentiæ & virtutum moralium differentia atq; convenientia in prudentiæ tractatione, ut etiam, qua ratione illa dirigat virtutes morales, docetur, hoc rectè sinè prævia cognitione virtutum moralium fieri non posse apparet.

6. His

6. His ita præmißis generalem virtutis intellectualis definitionẽ ex Ariſt. lib. 6. Eth. Nic. c. 3. ponimus hanc: Virtus intellectualis eſt ἕξις ἡ ψυχὴ τῷ καλῶς φᾶναι ἢ ἀποφᾶναι ἀληθεύει. Id e. habitus animi rationalis quo mens noſtra affirmando vel negando verum enuntiat.

7. Genus eſt habitus: quo è cenſu virtutum intellectualium removentur I. Opinio, quæ eſt exiſtimatio ſive aſſenſio de eo, quod poteſt ſecus ſe habere vel ratione rei, vel ratione medij, per quod aſſentimur, pertinens ad eam animi facultatem, quæ rationatrix nuncupatur. Dividitur in veram & falſam: item pernitioſam, utilem & neutram. Piccol. gr. 5. cap. 10. & 11. ubi fidem etiã cum opinione connectit. Hæc v. virtus intellectualis non eſt (1.) quia inconſtans eſt, 2. quia per illam poſſumus falli & decipi circa veritatem. Magir. lib. 6. cap. 3. ſeu, ut Picc. loquitur non de ejus conditione eſt, ut ſemper ſit recta, quod tamen in virtute propriè dictâ requiritur. II. εὐμάθια, quæ eſt ingenij promptitudo; III. δεινότης, de quâ poſtea. Vtraq; n. hæc naturalis quædam δύναμις eſt.

8. Differentia ſubjectum & finem continet. Subjectum eſt mens ſeu intellectus. In eo n. tanquam in ſubjecto recipitur & hæret ἀκριβῶς loquendo & non in Phantaſiâ, ut ſtatuit Piccolom. gr. 5. cap. 5. & 6. cum quo Diſp. Eth. 1. facit Evenius theor. 3. th. 5. qui ipſe tamen à ſe diverſus factus diſp. 17. theor. 5. th. 4. Fundamentum Piccolomineus petit ex Ariſt. 7. Phyſ. cont. 20. ubi Ariſt. habitus mentis ad relationes referat & in mente nullam mutationem ſive alterationem fieri doceat. Imo cum immortalis ſit, æterna & à materia non pendeat, nulli novo accidenti ſubijci videtur.

9. Cæterum locum adductum opinioni iſti nihil quicquam patrocinari ipſa docet αὐτοψία, & notetur diſtinctio Peripateticis frequentata inter alterationem corruptivam & perfectivam. Neq; etiam abſurdum eſt habitum vocari relationem, cũ omnis habitus in eſſentiâ ſuâ intrinſecè involutam habeat relationem tranſcendentalẽ ad objecta &c. Vt nec ibi ulla conſequentiæ militat ratio: Intellectus eſt æternus, immortalis &c. E. accidentaliter perfici in potentijs ſuis nequit. Diſertè n. Ariſt. lib. 3. de an. Cont. 2. 3. 4. intellectum, antequam intelligat, eſſe omnia poteſtate, affirmat. & cont. 6. vocat eum locum ſpecierum; & cont. 8. fieri eum omnia dicit: ſed hoc non eſſentialiter, verum ſubjectivè Scal. Exer. 307. ſ. 6. Impoßibile v. eſt intellectum fieri omnia, ſi nihil recipit. Et receptionem, quæ eſt ſine interitu, rei immortali non adverſari ipſe docet Piccol. gr. 5. c. 32.

10. *Sit ergo thesis nostra constans: Virtutes intellectuales in intellectu subjectivè hærere. Probatur (1.) autoritate Aristotelis 1. Eth. Nic. c. 13. 6. Eth. c. 2. & 3. (2.) Experientiâ. Intellectus n. sæpè reiterans intellectionem se facilitatem intelligendi acquisivisse percipit. (3.) quia intellectus obnoxius est errori in suis functionibus edendis: habitu ergo roborandus, præmuniendus & limitandus. Nec movemur eo: si quis dicat, Intellectum esse potentiam quæ naturaliter operatur. Nam ex parte objectorum & mediorum, quibus utitur ad ferendum de rebus judicium, sæpe non satis necessitatur & determinatur. Suarez. disp. Metaph. 44. s. 4. dist. 8.*

11. *FINIS est: affirmando vel negando enuntiare VERVM: Id quod anima dicitur facere, ideoq; ad externam vocem non perversè trahendum. Fine hoc OBIECTVM non obscurè insinuatur, quod sunt res omnes. In his n. verum tantum locum habet, quia Ens & verum retrocommeant. Falsum in rebus propriè locum invenit nullum; quod Metaphysici inculcant. Cum grano salis ergo accipiendum, quod Velstenius l. d. th. 6. scribit Objectum virtutum intellectualium esse res in quibus verum & falsum locum habet.*

12. *Definitione virtutis intellectualis taliter circumscriptâ ad divisionem proxima est via. Sed hæc unde desumenda disceptatur à Philosophis, quâ de re fusè diserentem vide Piccol. l. d. c. 9. & 10. Missis opinionibus aliorum quinq; virtutes intellectuales cum Philosopho numeramus: nempe,* artem, scientiam, prudentiam, sapientiam, intellectum, *earumq; differentiam, partim subjecti, partim objecti, deniq; etiam finis ratione assignamus.*

13. *Intellectus, qui ὀικεῖον subjectum, trifariam ab Aristotele distinguitur, videlicet in speculativum, activum & factivum lib. 6. Met. c. 1. lib. 3. de anim. c. 8. tex. 3 lib. 6. Eth. Nic. c. 2. distinctione non reali sed rationis, Thomas part. 1. quæst. 79. art. 11. Suarez. disp. 44. Metaph. s. 13. d. 46. & seq. Iam ita procedo: Virtus intellectualis vel est in intellectu speculativo vel practico vel factivo. In practico est prudentia, In factivo est ars, In speculativo est intelligentia, scientia, sapientia. Sed hæc à subjecto petita differentia admodum infirma est. Cum n. Intellectus speculativus ab activo &c. tantum ratione diferat, reale inde istorum habituum discrimen elici nequit. Licet in una potentia multi habitus esse possint Savanar. lib. 3. Eth. conc. 12. ijq; re differentes.*

14. *Manifestius ergó discrimen est, quod ab objecto desumitur. Res n. o-*

mnes

mnes sunt vel necessariæ vel contingentes. Res necessariæ aut assensum nostrum merentur sine ullo medio; & oritur νῶς. aut medio ad sui assensum indigent; & oritur scientia. Res a. hæ vel separatim spectantur vel conjunctim. Separatim secundum dictos modos spectatæ dictos habitus gignunt. Conjunctim v. Sapientiam procreant. Contingentes sunt vel agibiles; unde prudentia. vel effectibiles, unde ars nascitur.

15. Tandem quoq; finis ratione distinguuntur. Quidam n. nudam contemplationem sibi propositam habent; in eaq; conquiescunt, & hi habitus dicuntur Theoretici. Quidam à cognitione ad actionem progrediuntur, & hi practici nuncupãtur; Voce praxeos sumptâ insignificatione laxiori. Vtriq; habitus & theoretici & practici iterum ratione proprij finis distingui possunt; sed ut parcam Chartæ, lubens hæc mitto & istam operam lectori relinquo: pergens interim ad singulorum διέξοδον.

16. Habituum numerum, quem quinarium posuimus, neq; redundantem neq; diminutum censemus. Quod n. de alijs quibusdam alij interpellant, eos partim habitus, partim ab enumeratis distinctos esse negamus. Arduum a. videtur negotium de παιδείᾳ: sed hoc in ipso συζητήσεως actu συν Θεῷ dabimus expeditum. Videatur interim Aristoteles lib. 1. de part. anim. c. 1. lib. 2. Met. cap. 3.

17. Distinximus eosdem in Theoreticos & practicos. Illi sunt tres: Intelligentia, scientia, sapientia. De quibus ordine. ὁ νῶς ἐστὶν ἕξις, ᾗ ἴσασι ἀρχὰς γνωρίζομεν, hoc est, Intelligentia est habitus, quo prima principia, quæ medio & causa carent, absq; medio & causa cognoscimus, cognoscendo illis credimus, firmiterq; assentimur. Arist. 6. Nic. c. 6. 5. Eudem c. 6. 1. Met. c. 5. Necessitatem hujus habitus ostendit Piccol. gr. d. c. 17.

18. Objectum ejus est τὸ πιστὸν seu principia naturâ nota. Quæ vel sunt complexa vel incomplexa. Incomplexa quæ sint, patet. Complexa vocamus integras propositiones. Suntq; vel Theoretica vel practica. Theoretica sunt. e. g. Quodlibet est vel non est. Bis bina sunt quatuor. Totum majus est suâ parte. Practica sunt propositiones de turpi & honesto. e. g. DEVS est, DEVS est colendus, parentes sunt honorandi &c. Inter principia complexa quodnam primum sit disputant Metaphysici? Nos tuebimur sententiam Suarezij Disp. 3. Met. s. 3. Antonij Andreæ reijcimus.

19. Dicuntur a. ista principia naturâ nota. Vnde quæstio pullulat: sintne illa actu in intellectu hominis inde à primordio vitæ seu nativitatis? Pro affirmati-

affirmativâ & Theologi & Philosophi plerique tanquam pro aris & focis decertant. Verum Negativa quæ Aristotelis est, nobis vero magis consona videtur. Rationes adponere paginæ angustia non permittit: in conflictu tamen illas sumus daturi.

30. Vnde jam parata est responsio ad illam quæstionem: Quomodo nim. Intellectus possit definiri per habitum, cum tamen principia naturâ nota dicantur? Resp. 1. naturâ nota dici ista principia, non quod nobiscum actu nascantur, sed quia δύναμει talis homini unà cum ortu inest, ut illis auditis terminorum explicatione acceptâ statim assentiri q. cogatur. Extrinsecùs ergò per sensus apprehenduntur. 2. Notitiam horum principiorum, quæ ab initio paulò obscurior est, & tenuior, temporis progressu & experientiâ fieri perfectiorem & certiorem. Id quod in adultis videre est.

31. De divisione intellectus non sumus anxij: Si v. quis illum secundum datam principiorum divisionem subdistinguere velit, illi morosè non sumus refragraturi. Extrema intellectus ut & cæterarum virtutum intellectualium non inquirimus. licet n. & hæ essentiæ suæ terminis circumscriptæ sint, inter duo extrema tamen, ut morales, non sunt positæ. Perperam ergo ea tradit Sagittarius Exer. Eth. Exot. 6. hactenus de intellectu: sequitur scientia.

32. Επιστήμη ἐστὶν ἕξις ἀποδεικτικὴ ἐξ ἀναγκαίων. seu: scientia est habitus demonstrativus, quo percipimus & cognoscimus conclusiones ex necessarijs principijs. lib. 6. Nic. c. 3. lib. 1. M. M. c. 5. lib. 5. Eudem. c. 6. lib. 1. Post. c. 2.

33. An detur, quæstionis est: Circa quam in excessu pariter & defectu peccatur. Quidam n. omnium rerum dari scientiam asserunt. Quidam nullarum. His cum facit Ramus. Vtrique refutari possunt solidè ex objecto.

34. Illud est τὸ ἐπιστητὸν. cujus conditiones à Zabarella lib. de tribus præcog. & lib. 1. de nat. log. numerantur sequentes. 1. debet esse ens per se & non per accidens. 2. universale non singulare. 3. Necessarium non contingens 4. Æternum & immobile sive sit æternum simpliciter, sive ratione causarum. 5. debet habere affectiones in secundo modo dicendi per se. &c.

35. Hinc argumentum Achillæum; Si dantur res quædam; sed non omnes; necessariæ

cessariæ, affectionibus præditæ, quæ immediatè ex formâ subjecti fluunt, atq; quarundam etiam, non v. omnium habitur scientia. At prius est, ut patet ex definitione necessarij & contingentis. Ergo. Cedant igitur secus sentientes. Cedant Democritus & Heraclitus alijq;, qui omnem negarunt scientiam. Cedant item Academici cum Platone, qui scientiam quidem concedebãt, sed de novo ex principijs ἀναποδείκτοις productam negabant, ideoq; scientiã reminiscentiam esse dicebant. Si a. vera est horum sententia, unde tantus labor in disciplinarum perceptione exanthlandus? Et intellectum esse instar rasæ tabulæ, cui ab initio nihil inscriptum sit, conceptis verbis docet Arist. lib. 3. de anim. c. 2. Vide Piccol. gr. 5. c. 29. & seq.

26. De causa efficiente scientiæ Aristoteles l.d. docet, quod, ut omnis intellectualis cognitio ita etiam scientia sit ἐκ τῶν προγινοσκομένων ex præcognitis. Horum duo sunt genera: alterum est singularium: alterum universalium, quibus respondent duo gradus ad perfectam rerũ cognitionem nos ducentes; Inductio videlicet & syllogismus. Hactenus de scientia.

27. Σοφία ἐστὶ ἐπιστήμη ἢ νοῦς τῶν τιμιωτάτων τῇ φύσει. seu: Sapiẽtia est habitus, quo res honoratissimas & præstantissimas cognoscimus & tum principia demonstrationum tùm conclusiones percipimus. *Arist. 6. Nic. c. 7.*

29. Objectum ejus sunt res præstantißimæ & honoratißimæ, quales sunt principia & conclusiones inde deductæ; quorum utrorumq; cognitione qui pollet Σοφὸς sapiens nominatur, licet prudentiâ in rebus gerendis careat. Requisita sapientiæ Arist. lib. 1. Met. c. 2. multa recenset, quæ, qui volet, ibid. videat.

28. Quæritur a. hîc An sapientia sit habitus compositus? Negat Piccol. gr. 5. c. 22. cum distinctione aliquâ. Hunc sequitur Evenius disp. Eth. 21. theor. 3. th. 8. Sagittarius l. d. th. 5. Alij affirmant ut Donald. lib. 3. syn. Eth. c. 73 Velst. l. d. th. 22. Verum non patet, quomodo sapientia possit esse intellectus & scientia cum sint species condistinctæ, quarum una alterius essentiam non ingreditur.

28. Petrus Tartaretus in proæm. Log. Sapientia, inquit, est unus habitus numero, sicut alij habitus intellectuales, dicitur q; intellectus & scientia non formaliter nec identicè sed solum æquivalenter & objectivè, quia habetur de illo, de quo habetur scientia & intellectus &c. Thomas prm. 2. quæst.

57. ars

17. art. 2. *Sapientiã, inquit, Aristoteles cõdistinguit à scientia, nõ quia scientia non sit, sed quia in latitudine scientiæ habet specialem gradum & dignitatẽ &c. Slekerus in prælect. Met. Sapientia, ait, ad duos illos habitus, ex quibus componitur, habet se ut totum ad suas partes. Totum a. à partibus simul sumptis non differt. simul sumptis inquam; nam ab ijsdem separatis differt realiter. Vnio a. ista duorum habituum novum producit habitum ab utroq; seorsim sumpto distinctum: Eâ propè ratione sicut ex elementorum compositione in mixto novum exsurgit compositum & nova forma elementorum realiter differens. Ex his de quæstione propositâ fiat judicium. Aristotelis definitionem dicimus esse materialem: quales sæpe apud eundem occurrunt.*

19. *Hactenus de habitibus Theoreticis. Practici sunt duo: Prudentia & ars.* ἡ φρόνησις ἐστιν ἕξις μετὰ λόγου ἀληθοῦς πρακτικὴ περὶ τὰ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ καὶ κακά. *Arist. 6. Nic. c. 5. Est n. habitus intellectum per se perficiens & non appetitum ut Keck. perperam tradit lib. 1. Syst. Eth. c. 3. Virtus n. proprium subjectum per se perficit. Falsum etiam est, quod prudentiam scribit esse mixtam ex morali & intellectuali. Re n. differunt moralis & intellectualis, quia subjectis differunt. Objectum ejus sunt τὰ ἐνδεχόμενα πρακτὰ eaq; & universalia & particularia. Officium & connexa prudentiæ ut & ejus divisiones vide apud Aristotelem l. d.*

20. *ARS definitur quod sit* ἕξις μετὰ λόγου ποιητικὴ *Arist. 6. Nic. 4. Circa definitionem hanc considerãda quidem essent multa, sed excludimur. Notetur breviter (1.) Objectum artis, quod sunt τὰ ἐνδεχόμενα ποιητὰ. ubi dubium emergit, quomodo artis objectum sint res contingentes, cum res à natura genita arti subjiciatur; Zab lib. 2. de meth. c. 9. Resp. Rem naturalem arti subjici non quâ talis seu quâ necessaria est, sed quâ forma accidentaria ei induci potest.*

12. (2.) *Differentia* πράξεως καὶ ποιήσεως. πρᾶξις *est talis operatio quæ cum aliqua perturbatione connexa intrinsecus perficitur; si v. ad eam opus extrinsecum sequatur, id non nisi ex eventu fit Pic. grod. 5. c. 52. Effectio a. sinè perturbatione extrinsecus perficitur; & nunquam est sine habitu corporis, licet perpetuô opus externum non edat. Deinde actionis principium est prælectio: effectionis v. ars. Tertiô actio essentialiter turpi vel honesto est subordinata. Ars v. non: quippe à qua nemo simpliciter bonus vel malus denominatur. Reliqua ad hanc rem pertinentia videantur alibi.*

θεῷ μεγάλῳ μέγα κλέος.

EXERCITATIONVM ETHICARVM XI.

De Virtutum perfectione & Imperfectione, simul ac de voluptate.

Respondente ERASMO BOHEMIO Neobrandenburg.

THESIS, I.

Virtutem hactenus absolutè spectavimus: Deinceps relativè ea consideranda venit: nempe secundum affectiones & effectum aliquod. Affectionum vocabulo comprehensam volumus præter virtutum perfectionem, hoc est, virtutem heroicam, & imperfectionem, hoc est, continentiam & tolerantiam, etiam voluptatem; quibus de cunctis Philosophus lib. 7. Nic. pertractat. Effectum virtutis amicitiam vocamus, idq; non ineptè, ut apparebit ex disputatione sequenti ultimâ, cui amicitiæ ἐξιασίαν reservabimus. Affectionum contemplationem hoc loco ingrediemur à virtute Heroica exorsi.

2. Definimus eam cum Piccolomineo gr. 6. Phil. civil. c. 2. quod sit virtutis excellentia hominem supra communem conditionem elevans. Quæ definitio respectiva est, naturam virtutis heroicæ non quâ virtus, sed qua heroica est, declarans, & extructa ex verbis Aristotelis lib. 7. Eth Nic. c. 1. ἐξ ἀνθρώπων γινονται θεοὶ δι' ἀρετὴς ὑπερβολήν.

3. Secundum universum suum complexum ita rectè definiri potest: Virtus Heroica est habitus animæ excellens non tàm humanâ industria acquisitus, quam divinitus quibusdam specialiter concessus ad ejusmodi actiones perficiendas, quæ alioquin solis humanis viribus præstari non possunt.

4. Ὁριζομένῳ relicto, ὁρισμῷ ἔκθεσιν dabimus. Genus facimus excellentiam seu habitum excellentem; cui subnectimus causam efficientem proximam geminam; (ne quæso rideas) videlicet primam & secundam. PRIMA est DEI afflatus & concursus specialis. Vnde elicimus πορισμάτα (1.) Virtutē

heroicam non esse referendam ad actionem DEI generalem, quippe quæ omnibus communis; sed ad specialem: non v. gratiosam: quandoquidem hæc Ecclesiæ limitibus terminatur. Vide Chem. Exam. Trident. part. 1. f. 125. Tom. 1. Loc. Com. loc. 5. c. 5. Philip. lib. 1. Eth. p. 86. (2.) Eandem nec omnibus concedi nec in arbitrio humano simpliciter esse positam. Quare nec omnes heroica facinora temerè imitari debent: quia raró alicui peculiaris ille afflatus divinus obtingit. Vnde Arist. l. d. σπάνιον εἶναι θεῖον ἀνδρα affirmat.

5. Duo a. hic rectè quæri videntur (1.) Quomodo virtus heroica possit definiri per habitum, cum non sit in nostra potestate? Resp. 1. Distinguendo inter habitus acquisitos & infusos. Hi in nostra non sunt potestate & tamen sunt habitus. 2. aliquo modo esse in nostra potestate, videlicet ratione præparationis & quatenus virtus est. (2.) Anne facta Heroicorum sint ἕξεις simpliciter an v. mixta. Nicolaus Hunnius disp. Eth. 10. th. 1. t. 6 dicit esse mixta, propterea quia principium agendi magis externum est. Cæterum nos negamus principium in his actionibus esse externum tale, quale in actionibus istis mixtis requiritur; quod vel inde apparet, quia agens actione mixtâ actionem istam absolutè spectatam non vult Aristoteles 3. Nic. c. 1. Piccol. grad. 2. c. 12. & 13. Vir v. heroicus sua facta absolutè vult. Et si ratio ista Hunnij militaret, omnes actiones humanæ præsertim v. spirituales dicendæ essent mixtæ: quod hactenus inauditum.

6 SECVNDA causa est industria humana. Quamvis n. frequenter dicatur habitus θεόδοτος, illud tamen ita intelligendum putamus, ne omnis exercitatio humana hinc exulare jubeatur ob id, quia virtus est. Hæc v. causa immediata non excludit causas mediatas, remotam & propinquam; quin potius præsupponit. Requiritur n. & hic quoq; natura & cura, quod vel inde liquidum, quia heroica excellentia sine virtute conspicitur nullibi.

7. Quin & per afflatum divinum non intelligi debet semper fanaticus & occultus aliquis raptus, sed etiam naturalis indoles, cui admirabilis honestatis ac divinitatis ardor θέοθεν inditus est, quem cura excitari ac juvari posse, quis ibit inficias? Vnde non absurdè colligitur, posse aliquando esse heroicum factum, quod tamen non heroicè sit factum, idq; tùm, quando indoles illa nativa ejusq; cura abest.

8. Porrò subjectũ, objectum requisita, Finis & Divisio virtutis heroicæ cõsideranda

randa veniunt; quæ omnia non obscurè in definitione continentur. SVBIECTVM est vel totale, completum & adæquatum vel partiale. Illud est, non DEVS, nec Angelus. Nam licet quidem Heroes à Poëtis Dij sive ἡμίθεοι, θεῖοι ἄνδρες, θεῖ ἥοι nuncupentur, sit tamen hoc partim, quia hâc virtute præditi ultra communem hominum conditionem evecti sunt, partim quia non nisi cælitùs obtinetur: aliàs θεῖ ἔκ ἀρετὴ Aristoteles l. d. Sed solus homo; quia solus homo est capax virtutis humanæ, absq; quâ non reperitur heroicus splendor. Subjectum partiale est anima rationalis, quæ jam actu & usu talis est. Piccol. gr. 6. c. 6 speciei & non generis subjectum aßignat, dum appetitum sentientem subjectum virtutis heroicæ statuit.

9. Ex his de subjecto positis trium ζητημάτων elicimus decisionem. Primum ζήτημα est; An mulieri etiam competat Virtus heroica? Resp. quod sic. Vbi n. habile alicujus accidentis subjectum est, quidni ibidem ipsum daretur accidens? Et ubi afflatus ille divinus mulieribus simpliciter denegatus legitur? Annon idem multa comprobant exempla? Obstat tamen, inquis, sexus imbecillitas! quasi v. non crebrò animus virilis in corpore habitaret muliebri. Quomodo v. æstimanda sit hæc virtus in sexu fœmineo eleganter monet Piccol. gr. 6. Phil. civil. c. 10. Eædem rationes in illos quoq;, qui infimo loco nati, virtutem hanc cadere, licet frequentius illustre genus comitetur, stabiliunt.

10. Alterum est: An omnibus seculis inveniatur? Resp. omninò 1. quia omnibus seculis inventa fuerunt adæquata subjecta 2. quia DEVS uni seculo sua dona non alligavit. 3. Opposita nata sunt fieri in eodem 6. Top. c. 3. in Categ. c. 8. At feritas omni seculo reperta fuit. 4. Quia ex omni seculo exempla historiarum monumentis prodita extant.

11. Vltimum est: An omni ætati competat virtus heroica? Resp. quod non: Puerili n. ætati non convenit, quia virtutis moralis & beatitudinis civilis non sunt capaces, Aristoteles 1. Eth. Nic. c. 10. At heroica virtus splendor est virtutis moralis, eamq; præsupponit. Accedit, quod pleno rationis usu adhuc sint destituti.

12. OBIECTVM sunt res, & negotia omnia egregia, quæ aliàs virtuti humanæ subijciuntur. Est n. heroica virtutis humanæ excellentia. E. quod virtuti subijcitur in genere, id & illius splendori subijcitur. Neq; n. virtus heroica & moralis specie differunt, ut mox patebit.

13. REQVISITA numerant alij aliter. Keckermannus lib. 3. syst. Eth. c.

§. ita de his: consistit, ait, virtutis ista eminentia seu excellentia, quæ virtus Heroica dicitur, in his tribus 1. in admirabili impetu & facultate res magnas efficiendi. 2. In summâ constantiâ istius propositi. Deniq; 3. in successu & felicitate incredibili. His addimus (4.) afflatum istum divinum peculare, ex quo tria illa priora ortum trahunt.

14. FINIS communis & remotus isq; Principalis est, ut DEVS in operibus suis celebretur. Proprius & propinquior, ut benè inter homines beateq; vivatur; humanaq; societas ad finem vitæ conservetur.

15. Ad divisionem quàm progrediamur, prius quæstio dirimenda hîc est, Anne virtus heroica ab humanâ differat specie? Affirmativam tenet Nic. Hunnius loco præallegato theor. 1. th. 1. ob duas rationes 1. quia heroica alium observat modum circa objectũ versandi atq; humana. 2. Objectum speciale habet diversum idq; tale, quod humana adire non potest. Hunnium sequitur Evenius disp. Eth. 16. theor. 1. th. 3. & 4. ijsdem argumentis innixus. Thomas Aquinas 1. part. 2. q. 54. art. 3. eandem sententiam tuetur 1. quia fine differunt, E. etiam specie 2. quia feritas à vitio differt specie. Timplerus eidem non obscurè videtur favere lib. 3. Eth. gen. q. 1. ubi argumenta multa cumulat.

16. Cæterum negativam cum Keckermanno l. d. & quæst. 14. disp. 27. cursus Philos. Velstenio Exer. Eth. 14. q. 1. Piccol. grad. 6. phil. civil. cap. 3. Magiro lib. 7. Eth. cap. 1. Sagittario Exer. Exot. 16. th. 9. Caso pag. 457. tanquam veriorem amplectimur ob rationes sequentes 1. quia objecto secundum magis & minus differente differunt. 2. quia fine & definitione conveniunt essentiali.

17. Ad argumenta contraria Resp. Ad Hunnij prius, ex eo non rectè inferri specificam propriè sic dictam differentiam. Ad posterius esse quidem utriusq; objectum diversum, sed non specie. Et liberalis non potest ea adire, quæ magnificus: unde tamen essentiale discrimen non sequitur. Ad Thomæ argumenta Resp. utrumq; negando. Timpleri quod attinet argumenta, eorum nullum rectè concludit pro differentia essentiali. Vltimum quoq; quod ex Arist. lib. 7. Nic. c. 1. adducit, nihil efficit, quandoquidem istâ loquendi ratione Philosophus non semper talem differentiam intelligit, ut inductione aliquot locorum ex eodem ostendemus σὺν θεῷ in ipso conflictu.

18. Hâc quæstione nunc expeditâ Virtutem Heroicam divisione essentiali secamus in intellectualem & moralem. Quod n. Piccolomineus gr. 6. c. 4.

minus

minus propriè Heroas appellari excellenter sapientes, præsertim v. disciplinarum inventores scribit, id non satis firmo stare talo arbitramur. Nostram v. divisionem esse essentialem, ex eo est manifestum, quod omnia illa in genere antè de virtute Heroica dicta utriq; & intellectuali & morali propriè competant. Fiat collatio & non erit, quod desideres.

19. VIRTVS intellectualis Heroica est excellentia intellectualium &c. SVBIECTVM ejus est anima rationalis per se, seu intellectus. OBIECTVM sunt res virtutibus intellectualibus subjectæ. VIRTVS moralis Heroica est eminentia moralium &c. SVBIECTVM ejus est appetitus isq; vel concupiscipilis vel irascibilis, prout vel est mansuetudo vel magnificentia Heroica. Sagittarij sententia Heroicam moralem in voluntate collocantis disp. 3. profligata est. Objectum internum sunt affectus omnes. Neq; n. per heroicam affectus penitus evelluntur. Externum sunt res moralibus virtutibus subjectæ, quæ sunt pericula, pecunia &c. Extendit enim se virtus Heroica ad omnes morales, licet magis fulgeat in difficiliorbus.

20. Virtuti Heroicæ in genere opponitur aliquid, quod commune est Heroicæ intellectuali & morali nomine carens. Potest describi quod sit exsuperantia mali istius, quod opponitur virtuti Heroicæ in genere. Virtuti Heroicæ intellectuali opponitur exuberantia istius mali, quod sub se complectitur oppositas intelligentiæ, sapientiæ, scientiæ &c. Virtuti Heroicæ morali opponitur una & sola feritas, quæ est ὑπερβολὴ vitij moralis. Quæ ὑπερβολὴ deinceps distinguitur in feram avaritiam & prodigalitatem &c. Feritas hæc quomodo distinguatur, & quomodo vitium eâ sit deterius apud Arist. videatur. Vide Velst. l. d. th. 43. q. 6. Hactenus de virtutis vitijq; perfectione. Deinceps de Imperfectione.

21. Est autem imperfectio (sit venialis locutio) virtutis & vitij, dispositio seu gradus quidam ad ea. Dispositionem moralem malumus appellare quam imperfectam virtutem sive habitum imperfectum ut Donald. lib. 3. Eth. cap. 12. Habitum enim imperfectum non agnoscimus. Interim tamen licitum nobis sit dispositiones has vulgato stilo virtutes imperfectas appellare, ne discentes turbentur.

22. Earum tractatio an Ethicæ intrinseca sit & essentialis quæri assolet? Negat Nicolaus Hunnius disp. præallegatâ theor. 2. th. 1. ratione addita hâc, quia nihil subijcitur contemplationi quatenus in fieri consistit, sed prout

in esse. Semivirtutes a. nihil aliud sunt, quam inchoatæ & in fieri virtutes. Vt ergo de prudentiæ sapientiæ, &c. inchoamentis nec Ethicus tractat, nec quisquam alius, cum de ijs completis egisse sufficiat: sic non tenetur ob disciplinæ suæ perfectionem quicquam de illis tradere Ethicus. Hactenus ille, cui se favere ipso opere ostendunt Sagittarius & Timplerus.

23. Verum n. vero affirmativam faciemus nostram vel ideò, quod civilis Philosophus absolutè teneatur cognoscere, quæ ad mores pertinent, sive illa sint in esse completo sive in fieri. Et falsum esse, quod ea tantum sub contemplationem veniunt, quæ sunt in esse adepto, ex Physicâ ἀκροάσει abundè ostendi potest. Quid? quod dispositiones has Ethicus consideret prout sunt in esse nim. tali, idq; definiat, dividat &c. Et si de artium, scientiarum &c. Inchoamentis agere necessitas postulet, nihil obstat, quo minus hoc fiat.

24. De numero specierum imperfectarum virtutum controversia est? Arist. & multi alij duas enumerant, continentiam nim. & tolerantiam. Keckermannus lib. 3. Syst. Eth. c. 1. 2. 3. addit pudorem, Sympathiam, immunitatem ab invidiâ & suspicione, æmulationẽ & pœnitentiam. Vide Arist. lib. 2. Rhet. Verum affectus hæc omnia esse & non dispositiones, cuivis notum est. Ejus ergo opinione missâ Arist. amplectemur, pro quâ fundamentum desumitur à generali virtutum objecto, voluptate scilicet & dolore ita, ut continentia circa voluptates, Tolerantia circa dolores sit occupata. Alij etiam differentiam in subjecto quærunt ponentes continentiam in appetitu concupiscendi; Tolerantiam v. in irascendi portione. Vnde liquet has duas virtutum imperfectarum species summa q. capita esse. Aliàs tot species virtutum imperfectarum esse constituendas quot perfectarum, ratio Piccolominei gr. 3. c. 14. evidentissimè demonstrat. Principia nim. & viæ à termino numerum naturam q; recipiunt.

25. Dehinc ad definitionem utrius q; speciei tradendam nos conferemus Arist. 7. Eth. Nic. per omnia secuti. Continentia est dispositio proba sequens rationem rectam, quâ homo se abstinet à voluptatibus repugnante cupiditate. ἐν τῷ ἐπιθυμίας ἔχειν ἰσχυρὰς, καὶ φαύλας ὁ ἐγκρατὴς ἐστιν Arist. lib. 7. Nic. c. 3. Objectum ejus primarium sunt voluptates corporis ex alimento & venere perceptæ. Secundarium sunt illæ voluptates, quæ ex divitijs, honoribus &c. oriuntur. lib. 7. Nic. c. 6.

26. Conti-

26. *Continentia & temperantia quamvis objecto conveniant differunt tamen (1.) tanquam dispositio & habitus. (2.) forma agendi: in Temperantia n. plena voluntas; hîc non (3.) temperans rectè compositos habet affectus Coutinens v. pravis affectibus adhuc agitatur Arist. lib. 7. Eth. c. 6. Idem de tolorantia esto judicium. Differt continens à pertinaci, quia ille se abstrahi, à mala sententia patitur melioribus rationibus: hic v. non. Pertinacium genus ab Arist. l. d. triplex constituitur: Alij dicuntur ἰδιογνώμονες, Alij ἀμαθεῖς: Alij ἀγρικοί. Qui v. à præconceptâ discedunt opinione, illi hoc faciunt vel propter amorem veritatis & justitiæ, vel ex animi quâdam levitate & inconstantia. Illi continentes hi v. incontinentes merito reputantur, Arist. c. 9. & 10. lib. 7. Nic.*

27. *Extrema: in defectu est semivitium ἀνώνυμον, quo honestam voluptatem plane fugimus & aversamur. In excessu incontinentia, quâtum affectibus alijs, tum imprimis in gulâ & venere modum quis excedit, ita ut à pravis cupiditatibus quodammodo invitus & nolens ad peccandum pertrahatur Keck. l. d.*

28. *Incontinentia dupliciter distinguitur ab Arist. l. d. (1.) Alia vocatur προπέλεια; Alia Ασθένεια. Illa non æquè culpanda atq; hæc, quæ minus est sanabilis. προπέλεις iterum sunt vel ὀξεῖς vel μελαγχολικοὶ (2.) Alia vocatur καθ' ἅπλως; Alia ὑπὲρ τὸν ἄνθρωπον Arist. l. d. Gol. lib. 7. c. 5. Illa est vel κυρίως & ἁπλῶς dicta, vel dicta καθὰ ἢ καθά πεύθεσιν. Hæc est vel θηριώδης vel νοσιμαλώδης, vel denique ἔθισις. Harum omnium definitiones Vide apud Arist. Keck. Donald. &c.*

29. *Incontinentia differt ab intemperantiâ (1.) tanquam dispositio ab habitu (2.) Incontinens vehementibus cupiditatibus quibus rapitur existimat reniten-dum. Intemperans v. quibusvis turpibus indulget 3. Ille non agit ex προαιρέσει sed repugnante ratione; hic v. consulto & plenâ agit voluntate. 4. Ille sanabilis, hic v. non facilè, quia non facilè facti ducitur pœnitudine. Quomodo agat incontinens egregiè declarat Philosophus l. a. c. 8. Vbi etiam probat, cupiditatum incontientiam esse pejorem quam iræ c. 5. 6. Item nullum incontinentem revera esse prudentem c. 3.*

30. *Tantum de continentia.* Tolerantia est dispositio proba rationem rectam sequens, quâ homo perfert dolores repugnante irascendi appetitu honestatis gratia. *Vide Piccolgr. 3. c. 14. Τὸ καρτερεῖν ἐστιν ἐν τῷ ἀνέχειν. Arist. lib. 7. c. 8.*

31 *Objectum*

31. Objectum sunt dolores, quos tolerans perfert. Impropriè circa illos versatur incontinens. Actiones & finis ex definitione sunt plana. Differt tolerantia à fortitudine (1.) ut imperfectum à perfecto (2.) Fortitudo in adeundis etiam periculis, Tolerantia v. tantum in perferendis cernitur.

32. Extremum tolerantiæ in genere est impatientia. In specie extremum in excessu est PERTINACIA, quæ dolores omnes sine honestatis ratione perfert. In defectu MOLLITIES, quâ plane nullos etiam minimos dolores & labores perferre aut subire honestatis gratia volumus. Distinguitur Mollities in voluntariam & Non-voluntariam. Hæc proficiscitur 1. à naturâ 2. ab ætate. (3.) à sexu (4.) à morbo. De quibus fusè Arist. & Velstenius, quos tanquam manductores nostros, si placet, vide.

33. Quæstio hîc moveri potest, Anne donum continentiæ omnes, qui volunt, habere possint? Papicolæ affirmant stramineis plane ducti argumentis. Nos negamus (1.) quia continentiæ donum extraordinarium est. 1. cor. 7. v. 7. (2.) quia non omnes capiunt verbum hoc. Matth. 19. v. 11. Pro solutione argumentorum adversantium observa 1. Dona DEI alia esse ordinaria & communia omnibus credentibus necessaria: Alia singularia seu extraordinaria, quæ non omnibus necessaria, qualia enumerantur 1. Cor. 12. v. 8. 2. Aliud esse vitiosas perturbationes: Aliud Item appetitum naturalem.

34. De voluptate agendum nobis restat, sed pressè & concisè licet ea res integram poscat disputationem. Arist. lib. 10. Nic. c. 4. definit quod sit τελείας ἐνεργείας ἐπιγινόμενον τέλος. At lib. 7. c. 13. dicit, esse ἐνέργειαν τῆς καλὰ φύσιν ἕξεως ἀνεμπόδιστον. Quæ pugnare videntur. Cæterum posterior definitio causalis est: quo observato omnis expirat contradictio.

35. Dicitur Τέλος perfectio, non ἐσωθεν, intrinseca sed ἐπιγενόμενον extrinseca & accidentalis. Vnde πορίσματα (1.) non omnem voluptatem esse malam, quod volebat Plato (2.) voluptatem non esse ultimum bonum, quod contendebat Eudoxus. 3. voluptatis alium effectum dari nullum, quod docet Evenius disp. Eth. 23. theor. 3. th. 14. Dicitur perfectio operationis, quæ per varias potentias varia edi potest, unde de ejus efficiente causa judicium fieri debet. Divisiones voluptatum specie differentium ab Arist lib. 3. Nic. cap. 10. & 11. lib. 10. Nic. c. 5. lib. 7. c. 4. Piccolomineo gradu, 9. Phic. civil. c. 15. & 16. Velst. disp. Eth. 16. enumerantur non paucæ, quas, qui volet, videat.

Θεῷ εὐλογία.

EXERCITATIONVM ETHICARVM XII.

De amicitiâ & beatitudine Theoreticâ.

Respondente MATTHÆO CALANDRO *Plavienſi Megap.*

THESIS. I.



Am ſanctum ſanè & amplum amicitiæ nomen eſt, ut meritò integer tractatus ejus naturæ inveſtigandæ deſtinetur. Id quod videmus, largimur, fatemur. Quod a. pagellæ hujus miris anguſtiis de amicitia disquiſitionem & ἐξέλεγξιν inclusam nos exhibeamus, neq; de illâ modò, ſed etiam de beatitudine Theoretica, ejus rei cauſam vel ſolam & unicam neceſſitatem proferimus.

2. Contemplatione igitur de virtutum affectionibus, expeditâ; recto ordine ad earum effectum ſive fructum, ut lingua utamur Philoſophi Patavini, gr. 7. Phil. civilis, procedimus. Sicut n. effectus ſine cauſâ ſuâ diſtinctè cognoſcitur nunquam Zab. lib. de regreſ. c. 3. Keck. lib. 1. ſyſt. c. 10. ita nec amicitia ſine virtutibus, quæ illius ſunt cauſa tàm generans quàm conſervans, Ariſt. lib. 8. Nic. 4.

3. Vocis amicitiæ notationem ut & æquivocationem more noſtro ſicco præterimus pede. De quibus qui volet, videat Piccol gr. 7. Phil civil. c. 1. Donald. lib. 2. Syn. Eth. c. 8. Velſhenium Diſp. Eth. 15. th. 4. & ſeq. Kecker. lib. 3. ſyſt. Eth. cap. penult. &c.

4. Definitionem πραγματώδη aſſignamus ejusmodi ex Keck. l. d. Amicitia eſt unio duorum ſibi mutuo notorum, orta ex mutua & efficaci benevolentiâ, quam peperit conſenſus & conſpiratio in verâ virtute morali, ad exercitia virtutis faciliùs & rectiùs obeunda.

5. Hanc omnibus numeris eſſe abſolutam & veræ amicitiæ unicè competere, arbitramur. ILLVD quidem, quia omnibus cauſis conſtat; HOC, quia reliquæ vulgo ſic appellatæ ſpecies amicitiæ in conceptu aliquo univoco vel analogico cum perfectâ nequaquam conveniunt; Ergò nec in generali definitione, quæ iſtius expreſſa imago. Diſſentientes à nobis & contrarium tuentes jubemus generalem aliquam amicitiæ producere definitionem, quæ tota vel ex æquo vel per prius & poſterius a tribus iſtis ſic dictis ſpeciebus participetur. Quod tàm poſſibile erit, quam ſtellas numerare.

6. Nec est, ut Aristotelis definitionem tanquam generalem ex lib. 8. Nic. c. 2. nobis opponas. Nam (1.) nondum extra omnem dubitationis aleam est positum; an illa sit Arist. an v. antiquorum Philosophorum; quod non obscurè ex textu allegato colligi posse videtur. (2.) est illa definitio causaliter intelligenda, (3.) etiamsi sit Arist. negari tamen potest, esse eam generalem, idq; ob duplicem rationem. Nam primò Arist. de illa amicitia ibi loquitur, in quâ amicus amico vult bona ἐκείνου ἕνεκα. Vide Arist. l. d. At in amicitia utili & jucunda amicus amico non vult bona ἐκείνου ἕνεκα c. 3. Deinde huc non parum facit, quod idem ibid. amicitiam utilem & jucundam tales esse dicit κατ' ὁμοιότητα τῆ καλῆ συμβεβηκὸς. Non ergo amicitia est genus imperfectum, ut loco d. scribit Keckermannus, cum illi idem sit genus imperfectum, quod Arist. genus πρὸς ἕν. lib. 1. Syst. log. c. 3. Aliàs illam analogiam, cujus forma denominans tantum est in uno analogatorum intrinsecè, hic locum invenire, tantum abest, ut negatum eamus, ut potius diserte id asseramus, probantes, quod Evenius spurias has species appellitet, disp. Eth. 22. theor. 4. th. 5.

7. Genus, quod formæ locum obtinet, constituimus unionem. Vnde, quo in prædicamento nobis locetur amicitia, conspicuum est, nempe in prædicamento relationis; Cui nostræ sententiæ toties se favere ostendit divinus præceptor, quoties amicitiam vel communionem vel æqualitatem l. d. vocat. Et si amicus in categoria relationis, quidni etiam amicitia, idq; πρώτως. Amicus n. ad alterum refertur, nec ad aliud referri potest, nisi ad amicum. Piccol. gr. 7. c. 4. Vbi etiam ratio extat hæc, Amicitia est summa conjunctio, Atq; hæc nihil est aliud, quam unio. E. Vnde si quis amorem mutuum, quem loco generis in definitione ponit Piccol. l. a. c. 3. explicet per unionem ex mutuâ benevolentiâ ortam, non magnoperè à Piccol. ille videatur alienus.

8. Aliàs ceu genera adulterina reijcimus I. Benevolentiam, quam ponit Donaldsonus lib. 2. Syn. Eth. c. 8. Magirus in lib. 8 c. 2. Velstenius l. d. th. 1. II. Amorem mutuum, quem generis loco afferunt Piccol. l. d. Evenius l. d. III. Virtutem, quam pro genere venditant Savanarola lib. 6. Eth. conc. 24. Sagit. Exer. Eth. 10. theor. 5. Omnia n. hæc habent rationem fundamenti ad amicitiam. Iam v. causa & fundamentum speciei nunquam ejusdem est Genus, Arist. 4. Top. c. 5. Et nullum genus transit in suam speciem. At benevolentia transit in amicitiam. Donald. lib. 2. syn. Eth. c. 8. E. Præsertim vero quod amicitia virtus vel habitus non sit, duobus his argumentis invictè probatur

batur (1.) Virtus ejusq; actiones in nostrâ sunt potestate. 3. Nic. c. 5. At amicitia minimè: quippe quæ ex alterius in nos amore dependet. 2. Virtus & habitus est bonum internum 2. Nic. c. 4. Amicitia est bonum externum lib. 9. Nic. c. 9. Plura argumenta videre licet apud Piccol. gr. 7. c. 8. 9. 10. Velst. d. l. q. 1. Et probè notetur, quod ipse Sagittarius Virtutem dicit amicitiæ fundamentum l. d. theor. 6. Quod si ita, quî poterit amicitia esse virtus ipsa.

9. Cæterum nec in categoria relationis adeoq; nec unionem esse Sagittarius l. d. probare annititur discursu aliquo; pro cujus solutione, quia paginæ brevitas apponere eum huc non permittit, observentur aphorismi (1.) stylo Philosophi amicitiam non esse ἕξιν sed ἕξει similem (2.) amicitiam non esse unionem, quæ præcedat vel quæ sequatur illam, sed quæ sit ipsa amicitia formaliter συναλλάσσει. (3.) Vnionem non esse modum vel medium, quo animi conjungantur, sed esse ipsam conjunctionem amicam, seu amicitiam. Medium v. ejus esse virtutem. (4.) amicitiam esse constantem & perpetuatam unionem seu conjunctionem, nec hanc illius consequens effectum. (5.) ἀφιλόσοφον esse, intermedia unione interveniente animos uniri & in utroq; horum habibitum emergere. (6.) Vnionem esse non actionem (quantumvis nec hæc sine relatione) sed actionis consequens, ubi necesse est consideres proximum amicitiæ fundamentum una cum fundandi ratione. Quibus observatis discursus Sagittarianus evanescit & in fumum abit.

10. Differentia specifica quatuor nobis ob oculos ponit (1.) Subjectum (2.) Relatum & correlatum, quæ aliàs dicuntur termini. (3.) fundamentum. (4.) terminum seu finem: quibus omnibus cum genere relationum definitiones absolvuntur. Iac. Mart. Instit. log. lib. 5. c. 10. p. 105. Keck. lib. 1. syst. log. s. 2. c. 2.

11. Subjectum amicitiæ sunt viri probi, ijq; sibi mutuo noti DVO. Vbi Tria membra simul probanda ponuntur. 1. est, amicitiam inter viros probos tantum cerni; id quod Coryphæus noster conceptis verbis testatur dum c. 4. lib. 8. Nic. sic scribit: Τελεία δὲ ἐστιν ἡ τῶν ἀγαθῶν φιλία, cui similia scribit Tullius in Lælio, veram amicitiam non nisi inter bonos esse posse. Idem docet Piccol. gr. 6. c. 20. Et ratio est evidens, quia sola virtus eam conciliat ejusq; est causa efficiens. Magir. in lib. 8. c. 3.

12. Hinc πορίσματα de amicitiæ qualitate fluunt (1.) esse eam perfectam simpliciter & propriè amicitiam, quippe in qua non tantum se amici

per se ament mutuo, cum per se virtus amabilis: sed etiam cui omnia expetibilia insint (2.) esse stabilem, quia virtus res stabilis l. d. & 1. Nic. cap. 11. (3.) esse raram, quia viri boni sunt rari, juxta Illud Iuvenalis satyr. 13. Rari quippe boni vix sunt numero totidem, quot Thebarum portæ vel divitis ostia Nili, quin imò indiget temporis diuturnitate atq; longa & diligenti exploratione ac conversatione.

13. II. viros illos probos sibi mutuò esse notos; quod manifestum est cùm ex causis tùm ex adjunctis amicitiæ; quibus de paulo post. Vide Aristotelem lib. 9. Nic. cap. 5. III. Amicitiam hanc inter duos terminari. probatur ab Aristotele l. d. cap. 7. primò quia ὑπερβολῇ ἔοικε, quod autem est hujusmodi, ad unum spectat; & superabundans amor non est ad multos; Savanar. l. d. conc. 29. ut nec in omnibus placere secundum rectam rationem. Deinde diuturna conversatio & morum exploratio hic requiritur; Quæ cum multis non potest institui. Aristoteli se opponit Sagittarius l. d. theor. 6. Quid, inquit, obstabit, quo minus inter tres vel quatuor etiam vera subsistere possit amicitia? Piccolomineus d. l. c. 15. inter duos aut tres ad summum perfectam amicitiam ait versari posse. Cæterùm Sagittario jamdudum respondit Arist. d. l. quia quod exuperantiæ simile est naturâ ad unum spectare consuevit; quæ ratio etiam satisfaciet Piccolomineo.

14. Relatum & correlatum unum & idem nempe AMICI nomen sortiuntur; ita ut amicus amici amicus sit, quod ipsum etiam in alijs relatis usuvenire docent Logici in lib. Categ. circa cap. περὶ τοῦ πρός τι. Nec obstat quo minus extrema hæc maneant realiter distincta, quemadmodum in omni relatione reali contingit. Vnde pendet decisio illius quæstionis, quam Philosophus movet lib. 9. Nic. cap. 4. utrum videlicet erga seipsum amicitia sit? Quamvis n. vir bonus verè φίλαυτος esse debeat, erga se ipsum tamen propriè amicitiam non habet Piccol. gr. 7. cap. 17.

15. Fundamentum & causa efficiens amicitiæ gemina in definitione est expressa; proxima & propinqua. Illa est mutua & efficax benevolentia: HÆC est consensus & conspiratio in virtute morali, seu ut Piccol. loquitur, cognitio probitatis. Vbi tamen non excluduntur causæ remotiores, ut sunt (1.) ipsa natura, quandoquidem homo naturâ ζῶον πολιτικὸν, lib. 1. polit. c. 2. (2.) Æqualitas & similitudo ætatis, ingenij, studiorum; præsertim v. morum & virtutis. 3. Conversatio, convictus & consuetudo. Eisdem v. quibus amicitia progignitur, etiam fovetur & conservatur causis.

16. Hinc

16. Hinc variarum sursum ac deorsum agitatarum quæstionum decisiones rectè sumuntur, quas συμπεράσμάτων instar breviter expediemus, I. Inter hominem & res inanimes bestiasq; nullam esse posse amicitiam; quia mutua in hâc est benevolentia, quæ non sine ἀνθφιλήσει. At v. ubi in rebus inanimatis & bestijs benevolentia mutua, quæ præsupponit voluntatem ac proæresin. lib. 8. Nic. 2. II. φιλίαν & φίλησιν maximo ab invicem discrimine distare. Hæc enim notat affectum nudum erga rem quamcunq; sine consilio & redamatione, non illius ipsius rei adamatæ aut alterius, sed nostri solum causa: Illa vero habitum q. tantum inter homines cum proæresi & ἀνθφιλήσει, non nostri sed amici gratia expetentem bonum l. d. cap. 7.

17. III. Amicitiam ex indigentia non ducere ortum; Est enim relatio realis ideoq; fundamentum reale habeat necesse est. Indigentia vero est quædam privatio, quæ positivum quid non producit. Accedit quod virtus ejus causa, quæ omnia sub se bona complectitur. Neq; etiam vitæ conjunctio causa finalis esse potest amicitiæ, ut paulo post dicemus: Quin imò non omnis appetitio ex indigentia proficiscitur. Interim si quis ἐν πλάτει ita loqui velit, per nos licebit, modò hoc faciat secundum determinationem Piccol. gr. 7. cap. 5. IV. Amicitiam nobis non competere fato sed præelectione. Non fato, cumprimis si fatum illud intelligatur quod omnia necessitatis catenâ complicat, quia tale non datur. Sin. v. per fatum naturaintelligatur, illo amicitiam nobis convenire non negamus, quia homo per naturam ad societatem est fabricatus. Quia v. naturam hanc ducem sequi & se virtutibus ornare cæterisq; viris probis similem reddere, in nostris positum est manibus nostroq; arbitrio, ideo rectè amicitia præelectioni tribuitur. Pic. l. d. c. 6.

18. V. Necesse esse, ut qui amat (honestè) vice versâ ab amato ametur. quia in honesta amicitia mutuus & reciprocus est amor. Iustitia etiam jubet par pari retribuere, & cum sit vir probus, probitas exposcit, ut quando offertur occasio, id agamus, quod honestum est, Piccolomineus l. d. cap. 7. Aristoteles lib. 8. Nic. cap. 8. VI. Virtutem ratione facultatis eminentiæ & munere proprio præferri amicitiæ: Non enim pendet ex amicitia, sed amicitia ex eâ: Amicitiam a. præstare ratione ultimi actus formæ & munere alterius. Et ita accipiendus Philosophus dum ait in 8. Mor. Nic.

c. 1. amicitiam majori curæ fuisse legum latoribus, quam justitiam. Picc. l. d. c. 12. VII. Amicitiam inter pocula natam non esse veram, cum destituatur veræ amicitiæ προσκειμένοις.

19 VIII. Cum Hæreticis, quales sunt Iesuitæ & Doctores Calviniani, verum Christianum amicitiam, quam vocamus perfectam, contrahere & colere non posse; sunt n. verâ virtute morali destituti, nec adversarijs suis benevoli, nec concordes; Quô accedit, quod verè pijs cum hæreticis conversatio sit interdicta ex mandato Iehovæ Tit. 3. v. 10.

20. IX. Amicitiam non facilè dissolvi quidem ob virtutis stabilitatem, interim si contingat, fieri hoc duplici de causa docet Arist. lib. 9. Nic. c. 3. Donald. lib. 2. Syn. Eth. c. 8. Primô si amicorum alter à virtutis tramite deflectens ad turpitudinem insignem delabatur adeô quidem, ut planè sit ἀνίατος & ad frugem bonam revocari nolit. Et tùm rectè fit amicitiæ diremptio, quia & causa ejus cessat, & à virtute degenerans se ipsum excludit ex bonorum numero, & alter amicorum improbitatis suspicionem infectionemq; effugit. Deinde si alter amicorum adeô virtute, prudentiâ, auctoritate, potentiâ, honoribus, rebus, gestis &c. proficiat, ut multis post se parasangis alterum relinquat. Tum n. propter maximam illam διάστασιν non eadem semper volunt, nec ijsdem delectantur & offenduntur, nec possunt commodè simul vivere, nec æqualia virtutis munera exercere, ideoq; amicitia flaccescit & perit. Vide Velstenium l. d. th. 206. & seq. Sed dubium est, anne nuda absentia amicitiam solvere possit? Resp. Arist. lib. 8. Nic. c. 6. loca non amicitiam absolutè sed operationem dissolvere, si tamen diuturna fuerit absentia, illam amicitiæ quoq; oblivionem inducere juxta illud πολλὰς δὴ φλίας ἀπρόσηγορία διέλυσεν.

21. His sequentes ex Philosopho quæstiones adijcere, antequam ad spuriarum amicitiæ specierum ἐξήγησιν descendamus, operæ curæq; precium videtur (1.) Sitne amicitia bonum externum? Affir. ex lib. 9. Nic. c. 9. & 8. c. 8. Interim quatenus amicitia consideratur ut est ex virtute, nostraq; prælectione, bonum internum dici posse concedimus, quatenus v. ratione amici consideratur in quem tendit & ex quo pendet, bonum esse externum, palam est. Piccol. l. d. c. 13. (2.) Sitne melius diligi, quàm honore affici? De hac quæstione videtur Arist. contrarias protulisse sententias, ut videre est ex collatione locorum 8. Nic. c. 8. & 4. Nic. c. 3. Cæterum lib. 4. Arist. honorem accipit tanquam finitimum dilectioni eamq; includentem; lib. 8. a. tanquam contradistin-

contradistinctum dilectioni, & sic amor absolutè sumptus præfertur honori, quia amor est tanquam anima & spiritus honoris Piccol. l. d. (3.) Sitne præstantius amare, quam amari? Resp. quod sic, 1. quia ut virtutis ita quoq; amicitiæ officium potius agere, quàm pati, 2. quia eos, qui amant laus semper manet major. 3. quia amare est benefacere, amari v. beneficio affici. Manet ergo pronunciatum Arist. ἀεὶ τιμιώτερον τὸ ποιεῖν τοῦ πάσχοντος 3. de anim. c. 5. Vnde optimè elicitur, amicitiam magis esse ἐν τῷ φιλεῖν quam φιλεῖσθαι, quod Arist. lib. 8. Nic. l. 9. & 10. concludit; Illustratione sumptâ à matribus, quæ amando gaudent seu τῷ φιλεῖν.

22. (4.) Nunquid amici amicis maxima ex bonis velint. Decisio est apud Philosophum lib. 8. c. 9. Vt & ejus; An amico benè merito referenda potius gratia, quam succurrendum alijs, lib. 9. c. 2. An beatis amicis opus, & cur benefici amor major erga beneficiarium, quam hujus erga illum; An in adversa vel in secunda fortuna magis egeamus amicis? De his & similibus vide Arist. lib. 9. Nic. c. 7. & 9. Piccol gr. 7. c. 22. & 23.

23. Finis seu terminus non potest esse conjunctio vitæ, ut sentit Piccol. gr. 7. c. 3. & 4. quandoquidem amicitia conjunctio vitæ est formaliter. Statuimus igitur cum Keck. l. d. finem amicitiæ esse virtutis expeditum & facile exercitium. Hoc n. amicitiam contrahentes spectant & intendunt vel certè intendere debent.

24. Dehinc ad species vulgô sic dictas properamus; quas Arist. sic probat: Quot sunt φιλητὰ, tot sunt species φιλίας. At tria sunt φιλητὰ. E. tres φιλίας sunt species. lib. 8. Nic. c. 3. Vbi cave putes illum veras species intelligere: Iucundam n. & utilem amicitiam per accidens sic appellari, ut & χρήσιμον καὶ ἡδὺ per accidens bona esse ibid. c. 2. & 3. disertè tradit. Argumentum Arist. alij ab objecto petitum dicunt; cæterum cum illud in relationibus non reperiatur, à fundamento amicitiæ desumptum dicere malumus.

25. AMICITIA jucunda est, quam voluptatis fruitio inter juvenes conciliat. Arist. lib. 8. Nic. cap. 3. & 7. lib. 7. Eudem. cap. 2. Gol. lib. 8. cap. 3. SVBIECTVM ejus sunt juvenes; hi n. μάλιστα διώκουσι τὸ ἡδὺ αὐτοῖς, καὶ τὸ παρὸν, ILLVD quidem ipsâ naturâ instigante, quæ dolorem aversatur & voluptatem appetit; HOC v. quia ætas immatura est juvenum ob experientiæ, judicij, limatioris & prudentiæ inopiam. Hinc etiam fit, ut conversatione & convictu plurimum jucunda amicitia gaudeat, citô nascatur,

citô

citò pereat. Fundamentum est voluptas quæ hanc amicitiam conflat, & quia illa fluxa & evanida, amicitia etiam hæc talis existit. Attamen stabilitatem habere potest ut & utilis duobus modis, quos vide apud Philos. l. 8. Nic. c. 5. jucunda etiam ad veræ seu honestæ amicitiæ naturam proprius accedit quam utilis l. 8. Nic. c. 7.

25. Amicitia utilis est quam solius commodi consult ardor & perceptio inter senes. l. 8. Nic. c. 3. subjectum sunt senes & ij qui senum mores sequuntur emolumento ducti. Fundamentum est τὸ χρήσιμον ejusq; habendi ardor.

26. Hinc προβλήματα (2.) Utilem amicitiam conversationem mutuam non admodum requirere, quia qui eam colunt ob πλεονεξίαν & suspicionem minus ad convictum sunt idonei (2.) Amicos in hac amicitia posse sibi mutuo utiles esse etiam locis separatos. (3.) eam esse instabilem, querelis, criminationibus & calumnijs obnoxiam; lib. 8. Nic. cap. 5. & 15. Neutri n. parti ob avaritiam ab alterâ facilè potest satisfieri. In jucundâ amicitiâ rariores sunt querelæ. Quomodo cum improbis nonnunquam colant amicitiam utilem viri probi de eo vide Arist. 8. Nic. c. 5. 7. Eudem 2. Magirum super eo loco. Species amicitiæ utilis ut & alias subdivisiones amicitiæ tanquam minus Ethicas transimus, duobus verbis de felicitate contemplativâ acturi.

27. Definitio ejus ex Philos. lib. 10. Nic. c. 6. & 7. colligitur hæc: Felicitas Theoretica est operatio animæ rationalis secundum virtutem intellectualem præstantissimam. Genus est operatio, id quod abundè lib. 1. Nic. probatum; Argumenta n. quibus confirmatur beatitudinem civilem non consistere in habitu sed in operatione, hoc loco etiam suum habent valorem. Et operationem hanc non esse ludicram inde patet, quia lusus non per & propter se expetuntur, uti felicitas. Arist. l. d. c. 6.

28. SUBIECTUM ponitur anima rationalis non tanquam completum sed partiale, idq; perspicuitatis causa. Intelligitur a. hic per animam rationalem pars ejus optima, quæ γνωστικὴ aliàs appellatur. Unde patet operationem in definitione indigitari non, quæ sit πρᾶξις, sed quæ θεωρία, quod ulterius ex ultima definitionis particulâ clarum est. Cum n. inter virtutes intellectuales sapientia sit præstantissima, & hujus operatio mera θεωρία utiq; etiam hic θεωρία intelligenda, & quidem talis, cujus norma & forma est virtus intellectualis. OBIECTUM ejus sunt res divinæ, æternæ, incorruptibiles, h. est Necessariæ.

29. Ex his quantopere præstet Theoretica beatitudo practicæ, quibus judicium sumere potest. Pertractat hanc quæstionem Dux noster lib. 10 Nic. c. 7. & 8. ut & alias huc pertinentes quas ibid. videre licet. Nos concludimus cum hâc exercitatione Διάσκεψιν hanc Ethicam totam, in quâ ita versati fuimus, ut intellectum nostrum juxtæ Italici Arist. præceptum, alienæ libidinis non fecerimus mancipium; Id quod omnis bonus æquo feret animo; cum ex veritatis studio profecta sint omnia. DEO Uni & Trino gratias toto agimus pectore pro gratia sua, qua nos juvit & nostris operibus benedixit; Abis Tu Jehova nobis deinceps, & partem Philosophiæ civilis propriam h. est politicam huic subnexam proferemus. Tibi sit gloria & majestas infinitis seculis AMEN.

Errata Typographica benevolo lectori corrigenda relinquimus.

potest. Et de vocibus prout rerum indices sunt seu de v ... *ione a-*
git Logicus in libro περὶ ἑρμηνείας, De vocibus v. res si ... *taphy-*
sicus. Vana igitur sunt omnia.

Cæterum in doctrina de identitate & distinction ... *igoro.*
si esse nolumus, propterea quod scriptores in ea nimiu ... *v. qui*
in hac doctrina feliciter progredi & versari cupit, co ... *mus,*
ut varias horum terminorum secundum alios atq; ali ... *tiones*
definitionesq; teneat, & quoties cum aliquo in disput ... *vult,*
disertam ab Antagonista suo petat explicationem illor ... *vocet*
realem, formalem, ex natura rei &c. distinctionem. Ita ... *pediet*
ex objectis difficultatibus.

5. *Pag. 260. scribit:* Proprijs nullâ rati ... ire
possunt, nisi ea quæ recta linea subo ... , aut
sub unâ specie infimâ collocantur, tanq ... dua.
Sic animal & homo conveniunt sens ... cet
realiter sunt idem & directè subordina ... per-
spicuè intelligitur humanam Christi ... um
divinâ non esse idem ubiquitate aut ... ia;
quia divinitas & humanitas non sub ... , seu
non habent sese ut genus & species, ut ... infe-
rius, sed sunt disparata. *Ita nim. Calvinian* ... *ustato-*
res cum se destitutos omni solido scripturarum funda ... *man-*
tello aliquo Philosophico ejus turpitudinem velare sa ... *lerabi-*
li doni illius divini, Philosopiæ inquam, abusu, quæ si ... *& can-*
cellis continere debebat. Quasi v. ob axioma Philosop ... *ndum*
à veritate Theologica. Quasi v. secundum ordinarium ... *m ca-*
ro Christi dicatur omnipotens, omnipræsens & non po ... *μυςή-*
ριον ὁμολογουμένως μέγα 1. Tim. 3. v. ult. in quod π ... *lerent*
gestiantq; sancti angeli 1. Pet. 1. v. 12.

6. *Et quis Theologorum unquam scripsit propriu* ... *æ esse*
vel fieri proprium humanæ, seu humanam & divinam ... *poten-*
tiâ &c. convenire, ut animal & homo sensu? μετάβ ... *in hoc*
negotio omnem exulare magno consensu nostræ Eccles ... *nire a-*
humanam & divinam naturam istis attributis in per ... *per-*
lem.